DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

METASTASI IN MORBIS,

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

ERNESTO GODOFR. BALDINGER,

PHILOSOPH. ET MED. DOCTORE, MED. THEORET. ET BOT. PROF. ORD.

PRO GRADV

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

D. XX. MENS. IVL. MDCCLXXI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. CHRISTIAN. TRAVGOTT SCHLEGEL.

LONGO-EICHSTADIENSIS SAXO.

IENAE

LITTERIS STRAVSSII.

VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO, CELEBERRIMO
DOMINO
ERN. GODOFR. BALDINGER
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORI, IN ACADEMIA IENENSI MEDIC. THEORET. AC BOTANIC. PROFESSORI PVBL. ORD. FACVLTATISQVE MEDICAE ASSESSORI, ACADEMIAE IMPERIAL. NATVR. CVRIOSOR. ET. ELECTORAL. MOGVNTINAE SCIENT. VTILIVM SODALI ETC.

FAVTORI ATQVE PRAECEPTORI

OMNI OBSERVANTIAE AC DEVOTISSIMAE MENTIS CVLTV PROSEQVENDO

VT ET

VIRO
REVERENDO
IOANNI IACOBO SCHLEGEL
VERBI DIVINI MINISTRO IN PAGO KIRCHHEILINGEN AD LONGOSALISSAM MERITISSIMO

PARENTI OPTIMO

EA, QVA PAR EST, ANIMI RELIGIONE, OBSEQVIO ET PIETATE AETERNVM DEVENERANDO.

HOC SPECIMEN INAVGVRALE

IN

PVBLICVM ATQVE PERENNE

OBSERVANTIAE,

OBSEQVII, PIETATIS ET GRATISSIMI ANIMI

TESTIMONIVM

OB

MVLTA ATQVE INSIGNIA BENEFICIA

CVM ARDENTISSIMO OMNIGENAE ET DIVTVRNAE

PROSPERITATIS VOTO

SACRVM ESSE VOLVIT

IPSORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

ET FILIVS OBEDIENTISSIMVS

IO. CHRISTIAN. TRAVGOTT SCHLEGEL

PROOEMIVM.

Quod elegi pro inaugurali edendo ſpecimine argumentum, partim vt haberem legum academicarum iuſtam rationem, partim vt ſuſcepti laboris aequum etiam apud lectores ferrem iudicium; id equidem cum ſalutaris artis fine principe, qui circa corporis humani morbos profligandos verſatur, apprime non tantum conſentire, verum etiam ab vniuscuiusque tironis medici propoſito, vtpote quem artis ſummam, atque praecipua eius praecepta probe cognita tenere oportet, antequam ad vſum illius ſemet conferat, haud omnino alienum mihi videtur. Quanti enim ſit doctrina de metaſtaſi in morbis *facienda momenti; quamque inſignis vtilitatis cenſenda eius exquiſita accuratiorque notitia: ita certe manifeſtum eſſe exiſtimo, vt prolixis verbis id nunc declarare velle prorſus ſuperuacaneum foret. Et quis, quaeſo, hac de re dubitauerit, ſi modo animo ſecum reputet, in ipſa hacce doctrina omnem fere ambitum, indolem ac naturam, ſimulque vniuerſas cauſſas morborum ſuccincte tradi: praeterea mutationes innume-*

numeras, totidemque, quot in infinita malorum corporis ſerie occurrunt viciſſitudines, easque mox ſubitaneas, mox ſenſim ſiue paullo longiore temporis ſucceſſu ingruentes comprehendi: ex quibus medicus interdum mortem repentinam imminere intelligit; alia viciſſim occaſione, alium atque alium progigni morbum proſpicit, priori ſaepe perquam diſſimilem, cum non raro peioris euadat indolis, nonnunquam autem etiam in benignioris naturae, leuiusque corporis malum transmutetur. Hinc igitur ſponte ſua elucet, non ſolum vtiliſſimam, ſed ſumme quoque neceſſariam in facienda medicina, hanc eſſe diſſertationis materiam; quam, qui minus recte perſpectam habet, neque ad intelligendos multiplices graues morbos, neque ad eosdem, ſiue rite obſeruandos, ſiue caute diiudicandos aptus, tanto minus iis certa atque tuta methodo tractandis, feliciterque curandis idoneus cenſeri poterit. Atque potiſſimum eam ob cauſſam genuinus medicus doctrinam, circa quam nunc occupabor, egregie callere debet, vt probe ita inſtructus, praeuiſis malis grauioribus, quae ſaepiſſime morbis ſuperuenire ſolent, mature obuiam ire, adeoque imminens quoduis aegro periculum prouide auertere, vel ſaltem quoquo modo congruo ſufflaminare queat. Huius etiam, ni fallor, momenti praeſtantia, atque neceſſaria doctrinae cognitione factum eſt, vt inde ab omni aeuo optimi medicinae Antiſtites eam indefeſſo ſtudio indagauerint: id, quod cuilibet, tot egregia monumenta antiquorum, pari cum ſolertia ac recentiorum praeclara ſcripta euoluenti facile patere arbitror. HIPPOCRATES, *primarius in arte medica Vir atque antiquiſſimus auctorum, quorum quidem conſignata praecepta ad nos peruenerunt, Parens medicinae merito nuncupatus, ſuo tempore iam mira ſoliditate argumentum* de criſi *in morbis tractauit, cuius vtique non mediocrem partem doctrina de metaſtaſi conſtituit. Veſtigia*

gia tam illustria sequuti sunt non solum, qui mox post eum vixerunt ex Graeca illa vetustate clari adhuc medici auctores, doctrinam hancce egregiis prorsus illustrantes obseruationibus; sed alii etiam, qui a primis artis salutaris incunabulis longiori demum interuallo successere eximii viri, studiique Hippocratici, cuius in praxi medica praestantiam singularem cognouerant, strenui sectatores, omnem suam in id collocantes curam ac industriam, vt traditam sibi ab HIPPOCRATE *eleganti simplicitate decoram medicinae doctrinam experiundo in dies magis perficerent, et ipsam consulendo naturam, sobria attentione ad aegrorum lectulos defixa, excolerent. His itaque ego, tum veterum monumentis, tum recentiorum obseruationibus colligendis in hoc specimine, nauabo operam; omnem* de metastasi in morbis *necessariam doctrinam ita expositurus, vt praemissa historica enarratione, indolem criseos per metastasin tractem; dein eius conditionem et caussas, nec non signa enumerem; tandem vero ea quoque, quae ad therapiam siue medicationem ipsam attinent, quamue eius rationem morbi, in quibus metastasis contingit, exigant, atque quo in casu denique per artem etiam subinde metastasis sit excitanda, pro viribus expromam. In quo instituto, si lectores forsitan nonnulla censurae obnoxia inueniant, facilem me eorum veniam impetraturum, vel ideo spero, quod grauitas materiae tironem excuset, a quo opus absolutum nemo exspectare possit: si quae autem minus elaborata hic offendant, alia praetermissa adhuc desiderent; fas erit, vt me quoque tuear trita illa aliorum excusatione, angustos dissertationis limites ampliorem tractationem haud permisisse. Ceterum* Illustri BALDINGERO, Praeceptori *ac* Fautori *mihi plurimis nominibus venerando, cui innumera debeo in me collata merita, id etiam beneficii sincera pietate acceptum refero, quod me incitauerit*

 non

non ſolum, vt hoc argumentum eligerem, verum etiam, pro ſingulari ſua *beneuolentia, inſtructiſſimam librariam ſuppellectilem mecum communicare dignatus fuerit, qua mihi liberaliter adiuto, non irritum laborem moliri obtigit.*

Quo vero in limine ſtatim, vt aiunt, pateat, quid intelligendum ſit per metaſtaſin, ante omnia, nè obſcuro vtar vocabulo, euoluenda erit genuina eius notio. Quodſi igitur praecipuos conſulamus auctores, qui huic voci certum ſenſum attribuere conati fuerunt, patebit facile, illos non vno eodemque ſignificatu vocabulum hoc vſurpaſſe, ſed a nonnullis latius, ſtrictius ab aliis ſumi. Alibi etenim, bene monente FOESIO *), *μετάςασις ſignificat morbi tranſitum et in alterum ſucceſſionem, cum v. c. febres intermittentes vagae autumni tempore in quartanas mutantur. Alibi vero illud phaenomenon in morbis metaſtaſis audit, ſi morbus ex loco quodam, ſeu parte affecta migrat ad aliam partem, ibique ſedem figit; v. c. ſi dolor laterum ad inteſtina tenuia migrat. Alio porro loco apud* HIPPOCRATEM, *non ſolum morbi mutatio quoad locum, ſed materiae morbi, ſiue cauſſae materialis e loco in alium locum migratio ſimul hoc vocabulo exprimitur. Pro morbi autem ſolutione metaſtaſin, latiore itidem ſignificatu* HIPPOCRATES *ſumit. Idem etiam, quod recte iam laudatus* FOESIVS *euicit, aliquando vocabula μετάςασις et ἀπόςασις coniungit; ſaepius tamen ea ab inuicem diſtinguit, hoc quidem obſeruato diſcrimine, vt ἀπόςασις denotet criſin per abſceſſum aut excretionem, quibus morbus ſanatur, et aeger ab omni liberatur moleſtia; μετάςασις vero ſit humorum e loco in alium transpoſitio, cui nouus ſuperuenit morbus, nouus dolor, et quae humorum transpoſitio iterum indigeat coctione, antequam morbus ſolui poſſit. Atque eo ſenſu metaſtaſis nihil aliud*

eſt

*) In oeconomia Hippocratis: Frft. 1588. fol.

est, quam nouus morbus ex alio natus; caussa huius noui morbi in sede mutata materiae sic dictae morbidae latente. GALENVS *autem in commentariis in aphorismos* HIPPOCRATIS *metastasin tunc proprie adesse affirmauit, quando morbi ex vna parte in aliam transgrediuntur: et idem alibi hoc etiam monuit, singulam metastasin noui insultus principium habere. Est praeterea ex ipsius* GALENI *sententia**) μετάστασις *duplicis generis: cum nimirum aut ad colatoria defertur humor, quod* μετάστασις κατ' ἐκροὴν καὶ ἔκκρισιν *dicitur; aut desigitur in parte aliqua, quod* κατ' ἀπόθεσιν *cum decubitu transferri vocatur. Vnde quidem manifestum esse arbitror, quid nomine metastaseos intelligendum sit; nam de eius differentiis paullo post vberius erit agendum. Sufficiat itaque hoc loco declarauisse, nobis metastasin, consentientibus aliis quoque auctoribus, significare eam in morbis mutationem, qua materia morbida locum, quem occupabat, deserit, et alium nunc petit atque occupat. Sponte vero, vel me non monente, patet, metastasin perfectam esse aliam, aliam imperfectam, prout nempe morbida materia siue omnis, siue pro parte tantum locum priorem deserit, inque alium deponitur. Nec interest, vtrum in metastasi adsit tumor aliquis, an plane nullus: cuius rei rationem infra allegabo. At enim vero illud notari accuratius meretur, metastasin, quoad euentum, vel augere vim morbi, vel minuere; et id quidem pro indole partis affectae, quatenus alia nobilior existit atque alia, ac proinde, ab eadem morbi materia, vel grauius affligi, vel leuius tentari aegrotum. Denique et illud tenendum erit, metastasin semper considerari tanquam nouum morbum ex alio natum. Quae quidem singula ad explanationem doctrinae de metastasi facientia momenta, prolixius tradere infra conabor.*

*) Comment. in libr. VI. Epidem. Hippocratis.

SECTIO I.

DE MORBIS, IN QVIBVS OBSERVATA FVIT METASTASIS.

§. I.

Introitus.

Cum itaque propius ad materiam ſcribendi de meſtaſi in morbis accedimus, non inutile videtur, vt initio ſtatim colligamus potiores auctorum de iis morbis obſeruationes, in quibus eorum teſtimonio metaſtaſis contingit. Nemo autem non intelligit, nos omnes omnium obſeruatorum in hanc rem facientes morborum hiſtorias hic recenſere neque velle, neque poſſe. Nam ſimile propoſitum, etſi in epitomen ſaltem redigeretur, libri molem ſat grandem, magnitudine excederet, multo minus anguſtis diſſertationis paginis caperetur. Priori inſuper tractationis generi obſtaret fere et tironis ingenium, et lectoris taedium. Quam ob rem ſufficiet praeſenti noſtro conſilio, praecipuos euoluiſſe auctores, et ex his collegiſſe, quod de metaſtaſi potiſſimum obſeruatu dignum reperimus. Hiſtorica haec conſideratio principia ſuppeditabit neceſſaria, ex quibus deinceps indoles et natura argumenti noſtri explicanda ſatis eluceſcet. Leguntur vero metaſtaſes ab omni tempore obſeruatae ſiue in acutis, ſiue etiam chronicis morbis. Vnde ordini doctrinae huius conſentaneum eſt, vt primo de acutis, deinde vero de chronicis diſtincte agamus, non ne-

glecta

glecta specialiori quoque morborum diuisione in suas classes atque species. Tali facta distributione, de febribus primo idonea proferemus, de reliquis autem ita postea tractabimus, vt cognationis morborum semper studiosa seruetur ratio.

§. II.

DE

Metastasi in febribus acutis generatim.

Nullam dari febrem, in qua non aliquando obseruata sit metastasis, vberius deinde patebit, vbi ex communi auctorum meliorum iudicio, atque eorundem conspirantibus testimoniis, id ipsum extra omne dubium posuerimus. Neque recens inter medicos siue insolita res est, in febrium acutarum imperfecta crisi saepius metastases et abscessus, mox ad aures, mox ad coxas, mox etiam ad alias corporis humani partes contingere. Id quod eo tutius in praesens affirmare audemus, cum inde ab antiquissimis iam temporibus constiterit, febres acutas haud raro per metastases solui. Quis etenim ea, quae in Graecorum scriptis de metastasi in febribus dicuntur, vel leuiter eorum gnarus, nescit? Occurrunt non pauca in iis, quos HIPPOCRATES exarauit, vel quos scripsisse saltem a recentioribus existimatur, libris, circa signa, ex quorum praesentia abscessus in febribus exspectare licet, egregia monita. Atque hos abscessus in febribus quidem longis et diuturnis frequentissime omnium fieri, sapienter senex ille nobis tradidit. Pertinet huc in primis Sect. IV. aphorism. 44. „Quibus febres longae, his tubercula ad arti„culos, aut dolores fiunt„. Idem etiam monitum, iisdem fere verbis occurrit Sect. VII. aphorism. 63. Perinde quoque tuberculorum in febribus longis, aut dolorum ex iis ad articulos, mentio fit Sect. IV. aphor. 45. et Sect. VII. aphor. 64. Alibi autem, Praenotionum nempe libro 139. *) p. m. 157. abscessus cum tumore in febribus longis praedicit, si neque ob inflammationem aliquam, neque ob vllam aliam manifestam caussam

sam

*) Opusc. aphoristic. Hippocrat. edit. *Zwingeri.* Basil. 1748. 8.

ſam dolor detinet. Simile effatum legitur iterum in Coac. praenot. 143. Pariter huc ſpectat locus memorabilis Sect. IV. aphoriſm. 31. cuius haec ſunt verba: „Laſſatis per febres, ad arti„culos, et circa maxillas maxime, abſceſſus fiunt.„ Et aphor. ſeq. 32. ſcil. illico addit: „Quibus ex morbo reſurgentibus ali„quid dolet, ibi abſceſſus fiunt.

Nimis ceterum prolixum, et a ſcopo alienum foret, ſi ſingula, quae de abſceſſibus àd articulos, aures, crura in febribus, memoratu digna conſignauit HIPPOCRATES, ordine eſſent exponenda. Compendium huius laboris feciſſe nobis videtur ZWINGERVS *) laudatus; quamuis ſuo loco exempla ab HIPPOCRATE mutuata vtique erunt alleganda.

Quae optimus Graecorum, cumprimis HIPPOCRATIS interpres PROSPER ALPINVS **) vt ſolet, eleganter, de criſibus per abſceſſus diſſerit, apprime huc etiam referri merentur. Hic enim de ſignis abſceſſus praeſagientibus ſcribens, obſeruationes ſimul de febrium generibus, in quibus abſceſſus exſpectare licet, profert, atque per hoc ſatis luculenter confirmat, non in vno ſolum febrium genere abſceſſus obſeruari. Non itaque perperam acturi ſumus, ſingula febrium genera ſeorſim conſiderando, et opportuna hac occaſione, inſigniores de metaſtaſi atque abſceſſu recenſendo obſeruationes, quas ad ſcopum noſtrum prae ceteris pertinere exiſtimamus.

§. III.

Metaſtaſis febrium malignarum.

Recte atque ſapienter complures iudicauerunt medici de febribus, quarum ab HIPPOCRATE paſſim fit mentio, fuiſſe eas potiſſimum e genere malignarum. Relatum enim apud diuinum ſenem legimus, criſes harum febrium, quarum ille accu-

*) In ſpeculo Hippocratico, quod vna cum opuſc. aphoriſt. prodiit, p. 9-15.

**) de praeſagienda vita et morte aegrotantium. Edit. Frft. et Lipſ. 1754. 4t. Libr. VI. Cap. XII. pag. 401. ſeqq.

accuratas obſeruationes exhibet, frequentiſſime fuiſſe imperfe-ctas. Iam vero eam febrem malignam appellare conſueuerunt medici principes, in qua ſemper fere imperfectae occurrunt criſes, perfectae vix vnquam, vel rariſſime tantum locum obtinent. Enormis virium vitae debilitas, ſummaque imbecillitas et proſtratio, genuinum nobis harum febrium characterem ſiſtere ſolent; vt adeo indoles malignae febris vnice in virium vitae deſtructione conſiſtere videatur: quo in ſtatu neque vlla perfecta criſis eſt ſperanda; talis nimirum, cuius beneficio omne morbidum vna vice exterminatur, atque morbus, materia morbida eliminata, ceſſat. Non me quidem latet, auctoribus nonnullis ambiguam eſſe hac de re ſententiam, qui febres malignas non ſatis a putridis diſcriminant. Sed, meo ſaltem iudicio, malignae febris indoles a morbi putridi fomite re ipſa diuerſiſſima eſt; quamuis id negare nolim, ſaepius et malignam et putridam ſimul febrem aegrotum inuadere, adeoque in eodem ſubiecto morbum ſiſtere complicatum. Nequeo tamen hic, ni iuſto prolixior fiam, notas illas euoluere, quibus maligna febris a putrida diſtingui poteſt. Lectoribus, eas deſiderantibus, omnino ſatisfecit *Cl.* SELLE *), qui, de febre maligna agens, totus in eo verſatur, vt oſtendat, febrem malignam, ſiue atactam, prout vocat, a putrida reuera eſſe diuerſam: quae doctrina mihi quoque prae ceteris veriſimilis videtur. Conſentit in eandem quoque *Cl.* BRANDE, vbi ſigna febris putridae exponit, idoneaque occaſione eam a maligna neceſſario differre contendit. Quomodo hanc ſententiam ſtabiliat *Vir Cl.* legi vel maxime meretur eo loco, quo febris malignae ſigna explanat **). Verumtamen aliter ſentire animaduerto

*) Diſſert. elegantiſſ. Methodi febrium naturalis rudimenta. Halae 1770. pag. 61. ſeqq.

**) Diſſert. quae ſiſtit febrium putridarum differentias: praeſ. *Cel.* Archiatro *Schroeder.* Gotting. 1768. Pertinet huc inprimis §. 4. et §. 5. Epitomen illius exhibuit *Illuſtris* Praeſes: *Auszüge aus den neueſten Diſſertationen* 1. *Band* 1. *St.* *S.* 52. ſeqq.

Cl. VNZERVM *), arbitrantem, malignas febres non nisi sub putridarum certa specie contineri. Abundet, per me, suo sensu auctor alias perspicacissimus et ingeniosissimus, vtut hocce passu cespitare videatur; nostri enim non est, erroris eos postulare, qui diuersam a nostra tuentur opinionem.

Indicauimus iam antea, malignas potissimum fuisse febres illas, quarum in HIPPOCRATIS Coacis praenotionibus frequens adeo fit mentio; vbi vero etiam malignitatis notae et praesagia dilucidissime proponuntur. Vocis defectio, tenuis sudor, iactatio corporis, excretionum vix non omnium turbatio, sopor, obliuio, stupor, deliria, dolores partium, tremor, aliaque eiusmodi signa, saepius malignitatem, ex mente HIPPOCRATIS, in morbis innuunt. Neruos inprimis in malignis, et cerebrum ipsum affici, extra omne fere dubium positum est. Illud autem nondum satis constat, vtrum materialis morbi maligni caussa sit proprie putridum quid in humoribus. Ceterum cum b. BRENDELIO **) phrenitidem, et quae ab illa parum differt, paraphrenitidem malignis febribus non abs re adnumeramus. Simili etenim modo eximius hic vir alibi ***). „*Quaecunque*, ait, *post malignas febres obseruantur metastases*, „*tum per materiam, tum ad neruos, eaedem et phrenitidem* „*sequuntur, vsque ad visus et auditus grauissima vitia*„. Identidem etiam monet, nonnunquam recidiuam dirissima sequi symptomata, „*aut syrma quoddam aliarum febrium, malignis* „*similium, inter varia spastica symptomata, vnde in lentam* „*febrem transitus est.*„ Furorem interdum inopinato sub declinatione obseruari animaduertit deinde BRENDELIVS, et cum HIPPOCRATE suo, cuius mentem rectius ipso, nemo forsan alius interpretatus fuerit, insaniae solutionem promittit, sequente

**) *Im Arzte, Band* V. S. 612. seqq.

**) Diss. de cognatione paraphrenitidis et febrium malignarum. Gotting. 1752.

***) Diss. de phrenitide. Gotting. 1756. §. 8. p. 30.

quente aut crurum, aut pectoris dolore, aut tuſſi forti, aut viſus priuatione. Neque minus praeclare vlterius, b. Vir poſt phrenitidem, amauroſes nonnunquam obſeruat ſubſequi; ſed et haec ſymptomata, quae poſt malignas febres haud raro eadem plane accidunt, metaſtaſin manifeſte arguere docet. Ex ARETAEO vero ſimul euictum dat, non ſecus phrenitidi, ac malignis febribus, phthiſes ſuccedere. Atque hoc plane argumentorum robur laudatum ſupra *Cl.* SELLE, in veterum quoque doctrina non mediocriter verſatum, ad amplectendam l. c. eandem ſententiam, permouere debuit; vt, iure optimo, aurium ſonitum, auditus difficultatem, vel aciem ſolito maiorem, inter malignarum febrium ſymptomata recenſere nullus dubitauerit. Numquid vero, ſiue recenſita haec ſymptomata, ſiue ſubitaneae etiam mutationes, in malignis ſeſe excipientes, aliud innuunt, quam effectus malignarum febrium, prono alueo a metaſtaſi deriuandos? Liberari attamen nonnunquam, metaſtaſi, aegrotum a phrenitide, quam, tanquam malignae ſpeciem conſidero, id circo haud quoque ſecus recte affirmat auctor diſſertationis, *de indole et ſede phrenitidis et paraphrenitidis* *). Neque ego diſſimulem, inflammationem illam, quae in phreniticis quandoque cerebrum vel inuolucra eius occupat, peraeque ad metaſtaſin eſſe referendam. Perſuaſum namque habeo, non ſemper talem adeſſe inflammationem, vel ſaltem non in vnaquaque phrenitide praecipuam morbi cauſſam conſtituere; quod quidem aſſertum, ſi nunc e re mea eſſet naturam phrenitidis exponere, variis auctorum teſtimoniis confirmare poſſem. At potiorem in praeſens attentionem poſtulant ſymptomata malignis praeſertim familiaria, et, vt ſic loquar, eſſentialia: torpor, ſcilicet, ſtupor vniuerſi fere corporis atque membrorum, auditus difficultas; quae, quamuis profligata febre, diu tamen adhuc remanent, atque vt plurimum metaſtaſi debentur; eo quod vix, ac ne vix quidem, a ſola neruorum debilitate orta eſſe videantur, quin immo potius obſtructionem

 neruo-

*) Praeſ. Excell. *Schroeder*, Gotting. 1765. p. 16.

neruorum praesentem innuant. Superuenire tandem etiam solent nonnunquam, scabies rebellis, glandularum morbi, aliaeque diuturniores aegritudines; ex quibus satis superque malignarum metastases patescunt.

§. IV.

Metastases febrium putridarum.

Alienam mihi arrogarem operam, atque operae laudem, quodsi hic, quae sit dicenda febris putrida, sollicite definirem. Egregie enim ea defunctus est iam cum honore nominatus *Cl.* BRANDE; ad cuius peraccuratam descriptionem prouocare aequum duco. Illud autem quin moneam, praeterire nequeo, potissimum de duplici putridarum febrium genere mihi nunc sermonem fore. Alterum est, quod prauos primarum viarum humores agnoscit; alterum vero, quod sanguinem vel serum putridum habet caussam. Nec refert, qualesnam humores in primis viis contingat putrescere: modo enim bilis, modo chylus ex victu, cumprimis animali oriundus, vitium hoc contrahit. Ceterum communi omnium suffragio putridi primarum viarum succi, sanguini commisti, varii generis cutis exanthematum saepius caussam constituunt, v. g. scarlatinae, petechiarum, purpurae, etc. Lochia vero putrida resorpta, lac corruptum retrogressum, similibus ansam etiam dare, infra ostendemus. Sufficiet, ex recentioribus in eo argumento nominasse *Cl.* BEHRENS, HANNES, *Car.* STRACK, *Casimir.* MEDICVM, in quorum seriem, sine negotio, quam plurimos adhuc alios referre possem. Ex sanguine putrido metastases obortas, vnicuique, qui scripta SYDENHAMI, MORTONI, HVXHAMI, PRINGLII, STOERCKII, ZIMMERMANNI, vt plures taceam, euoluit, notissimas censeo. Hoc saltem probe tenendum volo, non raro a vi vitae in putridis febribus adhuc superstite, gangraenam in extremis exoriri, cui succedens suppuratio benignior subin critice soluit putridum morbum: at viribus iamiam prostratis, gangraena illa, quacunque in parte nata, tantum abest, vt mor-

morbum leuet, vt ne quidem a morte ipsa liberare queat. Qua de re innumera a medicis castrensibus recensita prostant exempla, inter quos Germania nostra famigeratissimum sibi gratulatur BILGVERVM. Is fidem suam interponit, saepius naturae beneficio sese gangraenam illam criticam obseruasse, iisque in casibus, natura sic monstrante viam, securo omine iudicasse, suppurationis auxilio naturam interdum gangraenae mederi, quae suam originem omnino sanguini putrido ac dissoluto debebat, sed quem ad superficiem corporis amandauerat natura medicatrix. Satis porro memorabiles casus narrat TREMELIVS *) de febribus, quas ille quidem malignas vocat, ego vero ad putridas pertinere credo; vbi per metastasin, non cutis solum sed musculi quoque dorsi gangraena depasti fuere.

Atque similiter animo meo obuersatur *Illust.* PRAESIDIS et PRAECEPTORIS mei sempiternum venerandi vtilissima in docendo vbertas, pro qua *Ille* eiusmodi casus auditoribus suis identidem assiduo in collegiis inculcauit. Meminit non vna vice, se, belli superioris tempore, in nosocomiis Torgauiae, saepius metastases, non modo in malignis, sed putridis etiam febribus obseruasse. De illis quidem narrans, affirmabat, non sine admiratione sibi visos esse tumores ingenti magnitudine conspicuos, in primis pectoralem musculum, non nunquam parotides, immo interdum coxas occupantes. De his autem, nimirum febribus putridis, earundemque metastasibus, tres prae ceteris insignes casus nobiscum communicauit, iis, quos *Cl.* TREMELIVS descripsit, admodum congeneres. Primus militem gregarium, ex legione pedestri *le Grand* concernebat, cui, febre putrida decumbenti, per metastasin, scapularum nec non dorsi musculi, gangraena et sphacelo profunde satis corrupti fuerunt, adeo, vt scarifatione, quam *Dn.* HEINRICI, Chirurgus, ob dexteritatem singularem ab *Ill.* Praeside perquam honorifice commemoratus, instituebat, solito altius per emortuam

 pla-

*) Diss. de febribus malignis et corticis Peruuiani in metastases illarum efficacia. Argent. 1764.

plagam penetrare opus eſſet. Impoſita fuerunt, ex decocto corticis Peruuiani et ſale ammoniaco parata epithemata; quibus remediis eousque gangraena fuit cohibita, vt orta ſuppuratione benigniori, demum hic miles conualeſceret. Alterum caſum, de alio milite pedeſtris legionis *Rebentiſch*, argumenti raritate commendabilem, ſuggeſſit itidem Praeſes *Illuſtris*, vbi ex febre putrida nata gangraena aegri ſcrotum integrum adeo profunde exedebat, vt nudi in conſpectum venirent teſticuli: verum ſuppurationis inſequentis beneficio, tandem omne, quod conſumtum erat, iterum renaſci vidit teſtis oculatiſſimus, et narrator fide digniſſimus. Tertius caſus Ipſimet quoque, cum Longoſaliſſae medicinam optatiſſimo ſucceſſu faceret, in iuuene, nobili genere prognato, fuit oblatus. Propinabatur aegro, febre putrida laboranti, Peruuiani corticis decoctum, in quo ſimul eius Extractum ſolutum, et cum rubi Idaei ſyrupo ad gratum ſoporem contemperatum fuerat. Nihilominus et in hoc aegroto gangraena ſubito proſerpens ſcrotum afficiebat. Admota autem ſtatim cataplaſmata emollientia, et inſtituta ſcarifatio profunda effecerunt, vt ſuppuratione opportune accedente, breui conualeſceret aegrotus, et priſtinam, qua adhuc laetus potitur, integram ſanitatem feliciter recuperaret. Non infrequens igitur in febribus putridis haecce metaſtatica gangraena eſt; quin immo interdum, vt hactenus in exemplis obſeruauimus, critice etiam morbum ſoluit. Vt plurimum vero gangraena talis pedum digitos infeſtare ſolet, ſicut *Ill.* Praeſes diuerſis teſtimoniis confirmauit. Interdum autem non fallax perhibet mortis praeſagium, atque adeo peſſimum in febribus indicium. Exempla iſtiusmodi gangraenae metaſtaticae, triſtis lethi praenunciae, ex *Cel* medicorum ſcriptis ſedulo collegit doctiſſimus BRANDE *), praeſertim aſſertores citans, PRINGLIVM, HVXHAMVM, SYDENHAMVM, aliosque bene multos praeclaros auctores. Conſtat etiam haud dubitanter de variolis, quibuscum putrida inprimis febris complicatur, aut bilioſo-putri-

*) In diſſert. de febrium putridarum differentia §. X.

putrida, aut inflammatoria putrida, in earum decursu non raro lethali euentu metastases gangraenae obseruari. Id ipsum de diarrhoea, et dysenteria, aeque firmiter praedicare valemus. Persuasum namque habeo, nullum esse genus febris, in quo quandoque febris putridae complicatio obtinere nequeat, siue eam hactenus quoque subinde obtinuisse dubitandum sit. Quodsi interim quis plura de hac gangraena, quae tanquam symptoma putridarum febrium consideratur, nosse cupit, illi hanc in rem inseruiet elegantissima atque doctissima *Cl.* SELLE dissertatio *).

Quia tamen duplex istius gangraenae habetur euentus, isque vel salutaris, vel ad mortem vsque exitiosus; ideo et duplicem cogitare licet modum, quem vtrinque obtinere necesse est. Scilicet metastasi hac per gangraenam subinde nihil aliud efficitur, quam putridorum humorum, per vires vitae adhuc vigentes, a massa sanguinis separatio, eorumdemque in loco aliquo collectio, cum destructione illarum partium, ad quas proxime colligebantur. Alio vero tempore, quo mortem annunciat, persuasos nos esse oportet, omnem sanguinem putredine dissolutum atque destructum existere: vnde etiam, omnia ab eiusmodi sanguine putrido simul destrui, vnicuique facile patet, cum per ecchymosin, corruptum hoc liquamen in omnes simul partes, quaquauersum diffusum sit.

§. V.

Metastases in febribus biliosis.

Progredior ad eas febres, quae a bile nomen habent, et quarum species, nec non complicationes cum aliis febrium generibus, accuratissima tabula nuper conspectui dedit, praestita hac opera merito commendandus *Cl.* SELLE **). Communis etenim obseruatio, cum praestantissimorum auctorum testimoniis elegan-

*) Inprimis ea, quae a pagina 34. vsque 40. occurrunt, vbi de synocha putrida, eiusque speciebus agitur.

**) l. c. a pag. 41. vsque 52.

elegantissime consentit, reapse biliosam febrem nonnunquam cum alterius febris quadam specie complicatam reperiri. Scilicet adesse possunt vna cum bilis colluuie, diathesis inflammatoria, catarrhus, miasmata exanthematicarum febrium, nec non sanguinis putredo. Saepe vero, simul et bilis, et putredo sanguinis, et varia exanthematum miasmata, mixtum atque pessimum morbi quoddam genus constituunt.

Et febrem quidem illam, quae Graecis καῦσος, nobis ardens vocatur, quaeue ex continuarum remittentium genere est, si non semper, saepius attamen a bile oriri, HIPPOCRATES iam auctor est; quod vel iis ex locis patet, quae suo tempore FOESIVS, ex scriptis venerandi senis, maxime ex libro περὶ παθῶν collegit. Nitidissimam atque optimam eius descriptionem, quam ipse καῦσον, siue ardentem dicit, legimus libro citato *) sequentibus expressam verbis: „*In febre ardente, febris et sitis* „*vehemens detinet, lingua aspera et nigra, spiritus sane calidi-* „*tate redditur, color aliquantum biliosus fit, et sputa biliosa.* „*In aegro partes exteriores frigidae sunt, interiora vero admo-* „*dum calent.*„ Porro quoque: „*Hic morbus*, inquit, *oritur* „*ex bile commota, vbi in aliquam interiorem corporis partem* „*incubuerit. Consueuit etiam in pulmonis inflammationem* „*transire* —. *Et siquidem ad pulmonis inflammationem deue-* „*nerit, pauci effugiunt, si vero non transierit, multi euadunt.*„ In textu hic occurrit vox μεθίςασθαι, vt dubium nullum sit, eam esse scriptoris mentem, ex καύσῳ seu ardente febre, quam a bile oriri statuit, fieri metastases ad pulmones, vel alias internas corporis partes, lethali saepe euentu stipatas. Quod autem ad biliosas febres recte dispescendas attinet, duplicem illarum speciem auctores communiter, nec immerito, statuunt. Vnam, vbi colluuies bilis adhuc in primis viis hospitatur, aliam, vbi vias secundas transiit eadem bilis feruida et sanguini permixta, vnde sputa flaua saepenumero, et icterus totius cutis, nonnunquam

*) Vid. Hippocratis Opp. edit. Foësii. Genev. 1657. fol. pag. 518.

quam intensiori flauedine conspicuus, ortum suum manifeste repetunt. Cumprimis vero hic in censum veniunt febres Americae, a flauo seu ictericio cutis colore *flauae*, Anglis *yellow fevers* nuncupatae. In hisce febribus sanguis simul putredine destructus est, ex qua putrida sanguinis dissolutione pessima ac lethalia symptomata nascuntur; haemorrhagiae scilicet, maculae, exanthemata, gangraena etc. *). Priusquam autem meam, de metastasi in biliosis, sententiam pronunciem eandem luculentis, ex HIPPOCRATE petitis testimoniis stabilire mihi liceat. Praeclarum, in hanc rem faciens, de morbis popular. libr. IV. **) exstat monitum: „*Quibus abscessus ad* „*oculos in febribus* ARDENTIBVS, (textus καύσοις habet:) „*hi rubent maxillas, et sanguinem ex naribus fundunt. Sed* „*et quibus ad aures fiunt. Fortassis autem abscessus ad ar-* „*ticulos magis, non tamen clare, nam etc.*„ Ex his non obscure elucescere arbitror, metastasin fere omnem, quaecunque in aliis febrium speciebus obseruatur, locum pariter habere in biliosis ardentibus. Sed insuper disertis verbis, abscessus in ardentibus febribus potissimum ad aures fieri, docet HIPPOCRATES. Exstat istud praesagium in Coacis ***): „*Ex prae-* „*cipitibus morbis, in febribus ardentibus maxime*, (ἐν τοῖσι καυσώδεσι) *tubercula ad aures* oriuntur. Similiter ibidem *) sequentem in modum traditur: *Ex febre ardente* (ἐκ καύσȣ) *nisi, qui circa aurem fit abscessus suppuret, non admodum liberantur.* Superest, vt vnum adhuc HIPPOCRATIS locum allegem ex libr. VII. morb. popular. qui manifestam de metastasi in febre ardente ad aures facta, sistit obseruationem. „*Ni-*

C „*colai*

*) De his vid. *Moultrie* de febre maligna biliosa Americae, edit. *Baldingeri*. Longosalisſ. 1768. 4t. et alios, qui de hac febre scripserunt, v. c. *Makittrick*.

**) Edit. *Hieron. Mercurialis* pag. 443.

***) Apud *Zwingerum*, edit. cit. p. 298. Coac. 207. apud *Mercurialem*, Tom. II. p. 471. C.

*) Coac. 138. apud *Zwingerum*, in opusc. p. 283.

„*colai concubinae*, inquit ille, *ex febre ardenti abſceſſus iuxta* „*aurem fiebant ab vtraque parte* etc.

Nullus praeterea dubito, quin inflammationes viſcerum, pulmonum, et morbos inde natos, pleuritidem, peripneumoniam, quos conſtat in biliofis febribus frequentius adeſſe, itidem tanquam metaſtaſes conſiderari oporteat; qua in re facilem, ab aequis aeſtimatoribus, me impetraturum ſpero aſſenſum. Nec id a veritate abhorreret, ſi quis icterum omnem pro metaſtaſi bilis ad cutim aliaque loca venditaret. In ſano namque ſtatu, bilis, intra cyſtidem propriam collecta, deinceps chylificationis negotio inſeruitura, ſi ad alias migret corporis partes, an non metaſtaſin reuera arguit? Nimirum bilis tunc vt praeternaturalis ſiue heterogeneus humor ſpectatur, qui impendentium morborum atque ſymptomatum pediſſequae turbae euadit cauſſa. Equidem ego audacter affirmauerim, icterum oriri eotum, cum bilis in hepate ſecreta et elaborata reſorbetur, et ad humorum maſſam defertur, deinde autem in variis locis colligitur, atque illic haeret. Ceterum, minime ſum neſcius diuerſae quorundam ſententiae, ſtatuentium, non bilem iamiam ſecretam atque dein reſorptam, generando ictero anſam dare poſſe; quin illum potius a particulis, in vniuerſa ſanguinis maſſa contentis, nec non ſecretioni bilis aptis atque deſtinatis, ad ipſam vero bilis officinam, propter varia obſtacula, pertingere haud valentibus, adeoque intra ſanguinem diutius, quam par eſſet, remanentibus oriri. Verum enim vero, cum omnis generis humores, ex corporis humani legibus naturalibus, ſine vlla exceptione reſorberi, res ſit non tantum in phyſiologicis vulgatiſſima; ſed eo ordine etiam lympham, ſerum, ſemen virile, ceterasque, ſecretionis miro artificio elaboratas humorum ſpecies diuerſiſſimas, reſorptioni obnoxias eſſe, manifeſta nos conuincat experientia: nihil adeo a vero alienum in ſententia noſtra offendimus, neque genuinam vllam exſtare rationem exiſtimamus, ob quam perinde ſecretam ſemel bilem, ac reliquos dictos humores reſorberi, dubitari queat. Ex bilis vero hacce poſita a nobis reſorptione fieri conſueuit, vt

omnes

omnes corporis humani partes, ipſis quoque oſſibus ac dentibus minime exemptis, ſaturata flauedine tinctae appareant. Immo, quod mirum videri poteſt, tenellum adhuc foetum, abortu editum, obſeruauit et deſcripſit *Ioann. Otto* HORST *), ex ictero iam laborantem. Atque illud magis adhuc in admirationem rapit, teſte *Cl.* WRISBERG **) inteſtina in embryonibus non ſecus flaua ſibi viſa fuiſſe: qualia phaenomena procul dubio a bile in humores regurgitante deriuare licet. Praeter haec, ſapor amarus, bilioſus ictericorum, ſaliua bile tincta, vrina crocea linteamina colorans, ſerum flauum, immo viride in ictero, abunde reſorptionem bilis in maſſam humorum, eiusque metaſtaſin confirmant: vt enim metaſtaſin aperte nuncupemus, ipſamet vocabuli, et rei quoque notio conueniens expoſcere videtur. Ceterum non mediocre pondus praeſenti argumento addit *Perilluſtris* HALLERVS calculo *ſuo* ***), ſtatuens in hunc modum: „*Bilis, vulgatiſſimo experimento,* „*quoties ab inteſtinis auertitur, in oculos, in vrinam, in ſa-* „*liuam denique tranſit*„.

§. VI.

Metaſtaſis febrium inflammatoriarum.

Ducit nunc nos inſtituti noſtri ratio ad inflammatorias febres conſiderandas, quas etiam tanquam ſingulare morbi genus ſpectare conſentaneum eſt: quatenus nempe diatheſis humorum phlogiſtica earundem naturam conſtituit. Ac indolem quidem febris huius ſi ſpectes, alio tempore continens, alio remittens, ſaepe intermittens, non raro atacta illa obſeruatur; quam differentiam, non ita longe abhinc, dilucide quoque in tabula deſcriptam, et variis auctorum prabatiſſimorum exemplis, ex experientia depromtis, corroboratam nobis

*) Diſſert. peculiari, Gieſſ. 1673.

**) Deſcriptio anatom. embryonis etc. Gott. 1764. Obſ. I. IV. V.

***) Element. Phyſiolog. corporis humani, Tom. II. pag. 373.

bis tradidit l. c. *Cl.* SELLE. Alia praeterea inflammatoriarum febrium partitionis, ſequens nobis lex eſt: cum vel fluida ſimplici diatheſi phlogiſtica laborant; vel in putridam ſimul indolem degenerant; vel complicationis ſpeciem hae febres cum colluuie bilioſa efficiunt; vel denique malignitatem ſingulärem, ex noſtra ſententia neutiquam figmentis adnumerandam, (diſſentientes enim ſuo ſenſu abundare facile ſiverimus,) febres iſtae produnt. Notanda porro hic eſt inflammatoriarum febrium illa diuiſio, quae a ſede inflammationis potiſſimum repeti debet. Secundum quidem *Ill.* TISSOTI mentem, ac nonnullorum, qui tanti Viri auctoritati prae ceteris inhaerent, conſenſum, phlogiſtica diatheſis interdum ſolum per maſſam humorum communem diſperſa eſt, nullamque in ſpecie corporis humani partem ſolidam aggreditur; quam Ille febrem acutam continuam ſanguineam definit. Nihilominus tamen, ſi id, quod res ipſa exigit, ſepoſito omni partium ſtudio, fatendum eſt, plerumque etiam inflammatio peculiari ratione viſcera, vel membranas afficere ſolet, atque modo ſuperficiem dictarum partium occupare, modo altius in earumdem ſubſtantiam penetrare deprehenditur. Vnde igitur noua iterum diuiſionis ratio emergit, vt alia inflammatio Eryſipelas, Phlegmone alia vocetur. Quae, quoniam non parum demonſtrationi ſeruiunt, nullam dari inflammatoriam febrem, in qua non metaſtaſis aliquando obſeruata fuerit; docentibus id ipſum tam veterum, quam recentiorum medicorum grauiſſimis teſtimoniis; propterea hic praemittenda de induſtria ſtatuimus. Sed iuuabit iam ſigillatim, licet breuiſſime, vnamquamque inflammationis ſpeciem ordine ſub examen reuocare.

§. VII.

Metaſtaſis Eryſipelatis.

Non ero prolixus in euoluenda illa notione, quam ſub eryſipelatis nomine nobis exhibent auctores. Ab antiquiſſimis enim temporibus per eryſipelas intellexerunt talem inflammatio-

tio-

tionem, quae ſuperficiem cuiusdam partis occupat, nec profunde adeo introrſum tendit, (ea propter a phlegmone merito diſcrepans) et quae tumore inſuper rubello, ſplendente ſeſe manifeſtat. Etſi vero ſedes huius inflammationis exiſtit potiſſimum in cute ac externa corporis ſuperficie, nihilominus tamen HIPPOCRATES iam paſſim meminit eryſipelatis pulmonum, vteri, et eiusdem in angina quoque praeſentis. Eleganter, animum huic argumento ſtudioſius intentum, occupabit collata lectio GORRAEI *), et FOESII **). Hi ipſi laudatiſſimi auctores, ex veterum monumentis, HIPPOCRATE imprimis, et GALENO, euidenter demonſtrarunt, ſemper fere eryſipelas a bilioſis humoribus ortum ducere; neque aliud egit *Cl.* SELLE ***) recentiorum in hanc rem collectis teſtimoniis. Atque, ſi in re tam grauis momenti, primorum artis noſtrae poſt HIPPOCRATEM ornamentorum auctoritate ſtare licet, vna hic fere vox eſt et conſenſio, SYDENHAMI, FREINDII, MEADII, TISSOTI. Quod autem ad metaſtaſin in eryſipelate ſolemnem propius ſpectat, de ea apud HIPPOCRATEM luculenta exſtant teſtimonia. Is enim, libr. I. de morbis *): „*Eryſipelas*, ait, *ſi extra diffuſum intro vertatur, malum: ſi* „*vero intra diffuſum foras vertatur, bonum*„. Ex quo Hippocratis loco, ſine omni dubitatione, natus eſt aphorismus 25. Sect. VI.: „*Eryſipelas foris quidem intro verti, non bonum:* „*intus vero foras, bonum*„. Nec non paullo aliis verbis idem effatum in Coacis legitur **): „*Eryſipelas foris exſtare vtile,* „*intro autem vergere, lethale. Cuius quidem rei indicium* „*eſt, cum, rubore euaneſcente, pectus grauatur, et aegrius* „*ſpiritum trahit aeger*„. Profecto, ſapienter admodum hoc loco inculcat auctor, quisquis demum ille ſit huiusce praeſagii,

*) Definition. medic. Frft. 1578. fol. pag. 157.

**) In Oeconom. *Hippocrat.* ſaepius citata, voce: Ἐρυσίπελας.

***) loc. cit. inprimis pag. 47.

*) Apud *Hieron. Mercurialem.* Sect. III. pag. 99. C.

**) Nempe 366. Coae. apud *Zwingerum* citatum, pag. 328.

gii, ex metaſtaſi eryſipelatis ſubito catarrhum ſequi ſuffocatiuum. Nam id ad amuſſim confirmatum legimus, innumeris quoque recentiorum obſeruationibus. Et vtut animoſius paullo ſupra pro ſentiendi libertate, quam pro recepta inter pleroſque opinione militare viſi fuerimus; in hoc tamen capite non poſſumus non *Ill.* TISSOTO commeritas denuo laudes vltro decernere, qui inter nationis ſuae litteratos medicos hodie prae aliis celebris, eleganti penicillo, atque ſibi proprio facundiſſimo dicendi genere, indolem eryſipelatis nobis quam optime deſcripſiſſe exiſtimatur. Illud praeſertim huic morbo proprium eſſe peraccurate aſſerit, saepius eum, ac ſubito quidem ſedem mutare. Pertinent huc ex Eius libro, communi cum applauſu inter noſtros etiam excepto, quae §. 276. *) contenta, de metaſtaſi futura in eryſipelate exſtant ſigna atque monita egregia, frequenter metaſtaſin illam caput et cerebrum, quandoque pectoris viſcera, pulmones inprimis, ſubinde collum, ſpecie anginae etc. occupare.

Socium TISSOTO *Illuſtri*, non precaria nominis fama quoque celebrem iungimus STOERCKIVM *Illuſtrem*, medicum, quem merito decus et ornamentum Germaniae inſigne ſalutare audeo. Is vero, cuius ingenium, doctrinam, et in arte peritiam exteri extollunt, libro, nemini medicorum hodiernorum non apprime commendato atque praeſtantiſſimo, eryſipelas vagum ad viuum accurate delineauit **), quapropter neque poenitebit doctiſſima illius verba mutuari: „*Plus periculi*, ita ſcribit, *habet eryſipelas vagum*; *quoniam loco frequenter mutando* „*nobiliorem vitae partem occupare poteſt. — Vagum tale eryſipelas ſaepe per octo, decem, aut duodecim dies in eodem vigore iam* „*hunc, iam illum locum infeſtat, tandem orto leui horrore et ſubſequente ſudore, ſubito diſparet. — Quamdiu eryſipelas ſedem* „*mutat, et vehemens eſt, tamdiu aegri nec ſudant, nec mul-* „*tum*

*) *Anleitung für den geringen Mann* etc. *Hamburg*, 1767.

**) Ann. medic. I. pag. 99. ſeqq.

„tum transpirant, cutis plerumque sicca deprehenditur. Binos in „nosocomio aegros habui, quibus erysipelas ex brachio pulmonem „inuasit. Febris inde magna orta est, et tussis continua cum „pectoris anxietate. Post venae sectionem, vesicantia nuchae „applicata, et calidum infusum, primo sequebatur die lenis su„dor, et aegri leuamen perceperunt; verum tussicula sicca fuit „nimium vehemens et molesta, — quarto die prodierunt sputa „bene cocta cum aegrorum leuamine, septimo euanuit febris, ces„sauit tussis, et omne periculum absuit. In alio aegro erysipelas „vagum subito cerebrum et meninges occupauit, produxit fero„cissimum delirium, conuulsiones et enormes capitis dolores, ac „paullo post mors superuenit. Ipsa substantia corticalis aperto „cranio, rubra et inflammata deprehensa est„.

Interdum quoque erysipelas epidemice grassatur, non mediocrem hominum multitudinem afficiens; praecipuum autem eius symptoma conuersio ad interiora et permutatio sedis esse solet. *Cel.* autem SAUVAGES, tum ex HOFFMANNO, tum aliis scriptoribus, erysipelas pestilens *) adducit, in quo per decubitum glandulae axillares et inguinales intumescunt, materies in glandulis abscessum format, in extremis vero gangraenam et sphacelum gignit, et retrocedens morbida materia in praesens vitae discrimen coniicit. Adeo in aprico posita est indoles erysipelatis, vt chirurgis praesertim notissimum sit, sedem illud frequenter et subito quidem mutare, maxime tunc, cum peruersa medendi ratione, cutis emplastris, oleosis, pinguibus, et id genus intempestiuis remediis obstruitur. Ac quoniam adeo fugax saepe erysipelas, eiusdemque phaenomenorum insignis varietas obseruatur, cum subito aliam sedem morbus occupet, priorem deserat; effectum inde est, vt recentiores de inflammationis recepta doctrina, quae in arteriis et earum inprimis extremitatibus obstructionem statuit, non temere dubitare coeperint. Natura etenim obstructionis subitaneam adeo inflammationis mutationem, quoad sedem, vix ac ne vix quidem per-

*) Nosolog. Tom. II. Part. I. pag. 423. edit. Amstelod. 1763. 8.

permittit. Facilius ſane explicantur omnia, ſi ſedem eryſipelatis, ac forte aliarum quoque inflammationum, in tela celluloſa exiſtere adfirmemus, quae vbique praeſens eſt in corpore, et cuius tanta obtinet in fabrica animali dignitas. Pulchre hanc doctrinam de eryſipelate, eiusque metaſtaſi illuſtrauit *b.* KLEINIVS *), ad quem hic, ob ſpatii anguſtiam, prouocare cogimur.

§. VIII.

Metaſtaſis in febribus exanthematicis.

A. Scarlatina.

Agendum quidem nunc eſſet de metaſtaſi febrium, quae ab inflammatis vel membranis, vel viſceribus nomen gerunt. Placuit autem, prius pertractare febres, exanthematibus in cute ſtipatas, in quibus cutis ſuperficies late inflammata reperitur. Dein vero etiam de reliquis febrium inflammatoriarum ſpeciebus praecipua in medium proferenda erunt; cum ſcilicet vniuerſa viſcerum ſubſtantia inflammata eſt, v. c. pulmones, hepar, etc. Priora illa cutis exanthemata fere ſemper cum febre ſunt coniuncta, et rariori non niſi exemplo, a febre manifeſta immunia. Eius generis habentur morbilli, ſcarlatina, vrticata, petechiae, variolae etc. Vnumquodlibet autem exanthema ſui generis miaſma, ſpecificum vocant, ſibi vindicat, cuius mixtionem prorſus ignoramus, atque indolem non niſi ex effectu cognoſcimus; inflammationem attamen ſemper comitem habere, certum eſt: quare multi haecce exanthemata indiſcretim tanquam febrem inflammatoriam conſiderare non dubitarunt, et vel ideo methodo antiphlogiſtica ſananda eſſe, firmiter perſuaſi fuerunt. Verum enim vero, certiore et meliore nunc doctrina, commentum illud prorſus exoleuit, atque nos in artis vſu, non tam ad exanthemata, quam ad febris indolem reſpiciendum eſſe intelligimus; quippe quae modo in-

flam-

*) Interpres clinic. Frft. 1759. 8. pag. 78. ſeq.

flammatoria, modo putrida, modo biliosa, modo maligna esse solet. Vnde simul vana illa spes agnoscitur, quam nonnulli, rerum minus gnari, de generali quadam his morbis medendi ratione, singulis omnique tempori opportuna, fallacis instar somnii fouent. Illud interim vltro largimur, nullam febrem exanthematicam, inflammationis penitus expertem esse, et si quidem alia sit febris indoles, tunc non simplicem, sed complicatum potius existere morbum. Seorsim vero nunc praecipuas exanthematicarum febrium species velut totidem morbos simplices considerare intererit. Et omnium primo hic scarlatinam propterea, quod proxime cum erysipelate conuenire videatur, succincte adumbrabimus. Inter eos equidem scriptores, qui morbi huiusce historiam genuinam prae aliis mature pertexuerunt, *Cl.* STORCH *) iure optimo commemorandus est, tametsi eius therapiam non aeque feliciter perscrutatus fuerit. Classicus is scarlatinae indolem exponens auctor probe meminit, se in illius periodo secunda tumorem totius corporis, hydropis instar, inprimis in facie, manibus, pedibus, scroto, ac palpebris, obseruasse; quin imo deliria, epilepsiam, soporem, pauores, morositatem, fatuitatem, abscessus aurium, parotides, obauditionem, catarrhum, oculorum inflammationem, hypopion, visus obscurationem, narium abscessus, faucium inflammationem et glandularum in faucibus tumores, tussim, catarrhum suffocatiuum, vomitum, diarrhoeam, oedemata, tumorem nec non pessima symptomata alia, quae retrocessionem exanthematum plerumque consequuntur, in aegris scarlatina male laborantibus passim spectauisse: prolixam autem tot grauium incommodorum seriem non aliunde idem auctor, quam a metastasi vel ad neruos, vel glandulas, vel membranaceas et musculosas partes, nec non ad contextum cellulosum contingente, repetit. Hunc, temporis, quo scribebat, ordine ex-

 cipit

*) *Vom Scharlachfieber. Gotha*, 1742. 8. inprimis. pag. 226. seq.

cipit *Cl.* IOAN. CONR. GVIL. SCHMIDT *), diriſſimi in hoc morbi genere ſymptomatis, anginae nempe malignae, ſeu inflammationis glandularum colli, quae tunc materiam foetidam ſecernunt, itemque tumoris totius corporis ſingularem mentionem faciens. Excellit in eodem hoc argumento obſeruator etiam eximius *Cl.* PLENCIZ **), quem experientia teſtis condocuerat, in ſtadio morbi ſecundo, totius corporis tumorem leucophlegmaticum, peſſimum malignae ſcarlatinae ſymptoma quandoque apparere. Ipſemet quoque in ſtadio eodem tuſſim, ſternutationem, parotidum tumorem, obauditionem, ſurditatem atque alia ſexcenta mala obſeruauit. Conuenit hic nobis meminiſſe *Cl.* PLENCIZ *l. c.* ***) ſedem ſcarlatinae, et tumoris, in contextu celluloſo, huncque perreptantibus vaſculis identidem ponere. Inflammationem faucium, laryngis, pharyngis, tonſillarum, oeſophagi, ventriculi, aſperae arteriae atque pulmonum, inter praecipua ſcarlatinae malignae ſymptomata, praeter laudatos Viros, refert quoque *Ill.* ROSENSTEIN *): quae ſingula nihil aliud euincunt, quam metaſtaſin malignam praeſertim ex humorum, putredine corruptorum, vitio promanantem; non abſimili phaenomeno anginae illius, cuius in eryſipelacea febre apud TISSOTVM **) tanquam maligni ſymptomatis, fit mentio. Enumeratis hactenus malignis ſcarlatinae ſymptomatibus ad amuſſim conformem, et exactiſſimam deſcriptionem porro etiam exhibuit limati iudicii Vir, *b.* MANGOLDVS ***), qui tumorem inprimis corporis, ex retroceſſione natum, inter lethalia ſymptomata retulit.

B. Pem-

*) In epiſt. ad *Cl. Klaerich*, quae ſiſtit proprias obſſ. de febre ſcarlatina. Hannouerae, 1753. 4. plag. 1½.

**) In libello elegantiſſ. de ſcarlatina, pag. 15. ſeqq.

***) pag. 76. ſeqq.

*) *Von Kinderkrankheiten*; 2te *Ausg. S.* 417. ſeqq.

**) libro cit. §. 117. *S.* 127.

***) In Opuſculis ab *Ill. Baldingero* editis. Altenb. 1769. 8. p. 45, 46. §. 34. diſſ. de different. exanthemat.

B. *Pemphygus.*

Febrem hanc veſicularem, in qua auellanae magnitudinem aequantes, aut ſuperantes, cutem occupant veſiculae, non abs ratione ſtatim ſubnectimus. Singularem eius morbi ſpeciem epidemice graſſantem obſeruauit et deſcripſit *Cl.* LANGHANS *), noſtra quoque non indignam attentione. Simillima hic morbus induxit ſymptomata, iis, quorum in deſcriptione febrium malignarum apud HIPPOCRATEM fit mentio; manifeſto documento, noſtro adhuc aeuo talem fere morbos decurſum ſeruare, qualem olim in aegrotis ſuis HIPPOCRATEM obſeruaſſe legimus. Memorabile in febre illa, de qua nunc tractamus, hoc potiſſimum occurrit, die tertio ad quartum euanuiſſe exanthemata, ſed illico ſucceſſiſſe anxietatem, tumoris in collo incrementum, et in abſceſſum degenerationem. Interdum aegri ſuffocatione obierunt, retropulſa ſcilicet materia veſicularum. Solui tamen etiam morbum in nonnullis vidit *b.* MANGOLDVS, per abſceſſus in glandulis inguinalibus, axillaribus, parotidum, maxillaribus, oeſophageis cet. ortos. Quae omnia ſane mirifice conſpirant cum doctrina *Hippocratica.*

C. *Morbilli; Miliaria.*

Genuini fontes, ex quibus morbillorum optima deſcriptio haurienda eſt, ſcripta immortalis SYDENHAMI, acutiſſimi HVXHAMI, peritiſſimi ROSENSTEINII, conſultiſſimi HOFFMANNI, vt et perſpicaciſſimi ELLERI, vberrimam hic nobis funderent ſcribendi copiam. Ne autem diſſertationis iuſtos terminos migremus, paucis tantum morbillorum metaſtaſes comprehendere ſtudebimus, quas in epitomen eleganter quoque redegit *b.* KLEINIVS **), ex SYDENHAMO et HOFFMANNO praecipua mutuatus. Eruptionem morbillorum ſi primo loco ſpectemus, vix omnia ſymptomata exinde mitigari, inter medicos putamus eſſe nemini non vulgatiſſimum. Inprimis vero vehementior

 tuſſis

*) In Actis Helueticis. Vol. II. pag. 260. ſeq.

**) Interpres clinicus. Frft. 1759. 8. pag. 187. ſeqq.

tuſſis per integrum fere morbi decurſum admodum moleſta eſſe ſolet, quae ipſa ſaepe, deſquamatione iamiam facta, aliisque ſymptomatibus ceſſantibus, adhuc perdurat. Praecipuum autem in morbillis ex metaſtaſi oriundum ſymptoma, auctoribus SYDENHAMO, HOFFMANNO et HVXHAMO, peripneumonia eſt, quin immo ſuffocatio quoque. Atque nonnunquam ſerius etiam, in tertio iam ſtadio morbi, videlicet deſquamatione, cum alias non iniuſta ſpes boni euentus viget, citra opinionem, a leuiori cauſſa, ſubito perire poſſunt aegri. Excipit quoque metaſtaſin perſaepe diarrhoea, periculi non ſemper expers; alioque tempore phthiſis pulmonum aut hectica clandeſtine ſerpit. Nonnunquam anaſarca, aut oedema, glandularum tumor, ophthalmia, dyſpnoea, contractura, etc. ſuccedunt: quae, ſi non necant, chronicos inducunt affectus. Eadem prorſus ſymptomata, ex metaſtaſi morbillorum pendentia, *Cel.* GORTER *), nec non *Cel.* HOME **) nobis retulerunt. Tandem omnes auctores in eo conſentiunt, nullam febrium exanthematicarum frequentius aut citius retroceſſioni et metaſtaſi eſſe obnoxiam, ipſiſmet morbillis.

Sequuntur miliaria conſideranda, quorum indolem ac complicationes mox cum arthritide, vel podagra, mox cum peripneumonia, mox etiam cum febre putrida aut intermittente, item petechiis, variolis, morbillis, puerperio, diſtinctiſſime calamo perſequutus eſt *Cl.* ALLIONI ***): quibus morbis ex aliorum obſeruatione merito adnumeramus icterum, eryſipelas, malignam febrem. Et recte proinde monuit *Cl.* SELLE *) in hocce morbi genere maximam febrium differentiam deprehendi; quo nuperrime etiam *Cl.* GESNER **) vna cum ALLIONIO re-

*) Praxeos med. ſyſtem. Tom. I. Harderovic. 1750. 8. p. 196.

**) Principia medicin. ed. tertia. Amſtelod. 1766. 8. p. 185.

***) Tract. de miliaribus etc. Auguſtae Taurinor. 1758. 8.

*) l. c. p. 31. Idem ſpecies miliarium eadem ratione, qua reliquas ſpecies febrium diuiſit.

**) *Samml. von Beobacht. 3ter B. Nördlingen* 1771. 8. *S.* 122.

respexit, miliaria rarissime morbi simplicis, sed semper fere complicati scenam ludere, contendens. Haec ipsa complicationis ratio docet, in febre miliari vtique metastases locum habere; id quod obseruationibus quibusdam mox illustratum ibimus. Inficiatur equidem *Cl.* GESNER l. c. *) retrocessionem pustularum in miliari morbo, mortis esse caussam, atque disputat contra *Cl.* ALLIONI, symptomata illius ante miliarium expulsionem, vel post eorundem retrocessionem, ex irritatione neruorum, potissimum cutis explicantem, funestissimaque symptomata ex retrocessione notantem **). Quamuis vero lubentissime *Cl.* GESNERO concedamus, mori nonnunquam aegrotos, licet nulla retrocessio praegressa fuerit; immo etiam hoc largiamur, rupturam et euacuationem pustularum non semper imminuere vim morbi, perinde ac in variolis, dum nempe copia veneni necat: noxios nihilominus effectus ex metastasi et retrocessione miliarium oriundos, ea propter neutiquam negare sustinemus. Legimus sane, et perlegimus attento animo symptomata miliaris febris, quam *Cl.* GESNERVS *l. c.* vt morbi simplicis exemplum exhibet. Sed inuenimus in eadem morbi historia, ante miliarium eruptionem symptomata spastica, miliari morbo familiaria, deliria, anxietatem, tussim, suffocationis metum, verbo, symptomatum syrma solemne adfuisse. Euentus vero docuit, hoc in casu eruptionem exanthematum non criticam, sed symptomaticam fuisse, et ab aliis probatis auctoribus, inprimis *Cel.* MOLINARIO, annotatum legimus, dari quandam miliarium speciem, quorum eruptio morbum non omnino leuat; sicut neque variolarum, neque aliorum exanthematum eruptio semper leuamen fert, cum copia veneni nimia in corpore diffusa haeret, et humores praecipites in putredinem ruunt. Ceterum etiam minime pronum arbitramur, facta semel metastasi ad viscera, exanthematibus vltro locum nullum esse posse, quin, illico tum oportere, vt dispareant: manet etenim simul miliarium non parca copia in cutis superficie

*) libr. cit. *S.* 152.
**) libr. cit. §. *76.*

ficie quandoque residua, cum per metastasin maior pars huius miasmatis aliorsum transfertur. Denique ab HAMILTONO inde, atque HOFFMANNO, nec non aliis superiorum temporum auctoribus ad nostra vsque, omnes vno ore affirmant, retrocessionem miliarium vix non infallibile funesti euentus indicium praebere. Variorum huius generis praesagia et obseruationes in compendium *b.* KLEINIVS *l. c.* laudabili industria collegit. Conformi ratione erysipelas ex purpura rubra exortum, *b.* ALBERTI *) vidit. Pessima symptomata peraeque, ex retrocedente rubra purpura, *Cl.* DE LÜBKEN **) suis oculis spectauit. Adeo de metastasi in miliari morbo, eiusque effectibus noxiis omne exulare dubium necesse est, cum extispicia cadauerum nihil hac re clarius vel certius comprobent. Et quis est, quem periculosissima fugiant symptomata, retropulsam purpuram chronicam frequenter adeo consequi solita, vt multoties inde catarrhus suffocatiuus aegros prehendens, vita eos plane priuauerit? Fieri autem solent in morbo miliari metastases potissimum ad neruos, quamuis remotis etiam a sua origine locis, et pariter quoque ad cerebrum; vnde delirium lethale, surditas, paralysis: aliquando vero ipsa viscera occupant, inflammant, atque excitata ibidem gangraena, mortem inferunt.

D. Metastasis Petechiarum.

Ea est medicorum Gallo-Francorum in graui doctrina de exanthematibus obscuritas, ne dicam confusio, vt miliaria a petechiis haud distinguant, sed latiori significatione vocis: *Pourpre*, omnis generis rubicunda exanthemata misceant. Nostratibus sane petechiarum indoles longe curatius perspecta pridem iam fuerat, vtpote qui aliam earum speciem, cum inflammatione concomitatam, aliam cum ecchymosi putridi ac dissoluti sanguinis coniunctam, aliam denique non sine fomite bilioso,

*) Cf. Ei. diss. de erysipelate ex purpura rubra, male tractata. Hal. 1731.

**) Diss. sist. casum, de purpura retrograda per vlcus vesicatorii soluta. Gotting. 1753.

liofo, vt plurimum in primis viis accumulato, et deinde reforpto, exiftentem, probe ab inuicem diftinguere norunt. Atque in his obferuatas diuerfas metaftafes ftudiofe collegit, concinnoque ordine digeffit *b.* KLEINIVS *l. c.* videlicet tumores, parotides, abfceffus variis in locis, eosdemque faepe falutares. Complures vero medici practici frequenter ex retrocedentibus petechiis periculum non mediocre obferuauerunt: nonnunquam tamen et icterus falutaris apparuit, fortaffis in ea fpecie, vbi colluuies biliofa dominaretur. In his *Cl.* STRACK *): „*Tres potiffimum*, fcribit, *morbi petechiis superuenire folent*, „*febris nempe intermittens*, *et hydrops*, *et in externo corpore* „ *abfceffus*„. Eximius autem FORESTVS **) a petechiis retrocedentibus diriffimum ventriculi dolorem, praecordiorum anguftiam, et dyfpnoeam oriri comperit. Metaftafes igitur petechiarum omnino iis fimiles deprehenduntur, quas de aliis febrium exanthematicarum fpeciebus praedicauimus. Quapropter neque illas prolixius hic denuo recenfere, opus erit.

E. Metaftafis Variolarum.

In variolarum praecipuis momentis explicandis, et metaftafibus earundem euoluendis non melius nobis confulere nouimus, quam ftudio atque labore exercitatiffimi auctoris *Cl.* HENSLER ***), quo neminem de locis, in quae materia variolofa abfcedere folet, doctius differuiffe arbitramur. Praeclare is difputat, eiusmodi metaftafes fieri in cutis internas propagines, ad glandulas et folliculos omnes, nempe faliuales, inteftinorum, faucium, laryngis, pulmonum, narium, palpebrarum, in glandulas lymphaticas alarum, inguinum, thoracis et colli. Sed et abfceffus externos nafci afferit, oedemata, furunculos, anthraces, abfceffus ad articulos, cariem offium, immo faepe quoque paedarthrocacen. Quafi vero non hoc fatis

*) In libro notiff. atque elegantiff. de morbis cum petechiis. Carolsruh. 1766. 8. p. 184.

**) Libr. VI. Obf. 59.

***) Tentam. de morbo variolofo. Gott. 1762. p. 70. feq.

ſatis eſſet malorum, aſſociant etiam ſeſe abſceſſus inflammatorii partium internarum, viſcerum, membranarum, ac denique fiunt abſceſſus purulenti interni in viſcera, horum parenchymata atque neruos. Meminit praeter ea gangraenae, et magna accuratione, ſingula aſſerta, tum ſuis, tum aliorum obſeruationibus comprobauit.

Poſt *Cl* HENSLERI exhibita de variolis erudita tentamina, idem adhuc argumentum, cuius diſtincta cognitio eximiam vniuerſo generi humano adfert vtilitatem, pro indefeſſo *Suo* rei publicae commodis inſeruiendi ardore, *Illuſtris Praeſes* *), lectu digniſſima commentatione perſequutus eſt, potioraque de metaſtaſi variolarum obſeruanda momenta diſerte inculcauit. Vtriusque dein, et *Cl.* HENSLERI, et *Ill.* BALDINGERI placitis etiam adſtipulari haud detrectauit Gratioſae Facultatis Medicae in hac Vniuerſitate Senior Venerabilis *Illuſtris* NICOLAI **). Ad tantum vsque euidentiae gradum prouecta, et tam inſignium *Virorum* teſtimoniis ſtabilita haec doctrina, omnium frequentiſſimas in morbo varioloſo metaſtaſes euincens, amplius nulla eget vberiori diſquiſitione. Sola namque nobis, quae *Praeſes Illuſtris l. c.* expromit, documenta ſufficerent ad declarandum, nullam fere in corpore humano dari partem, quam non aliquando metaſtaſis varioloſa occupauerit, neque vllum fere morbi genus cognitum, quod non identidem ex metaſtaſi variolarum propullulaſſe compertum fuerit. Illud tamen inſuper hic locum promeretur, *eximium b.* BRENDELIVM ***) quoque metaſtaſes variolarum tanquam ſcaturiginem abſceſſuum purulentorum allegauiſſe. Quod omnino ita accipien-

*) *In der Vorrede zu Tiſſot und Roſenſteins Abh. von der Natur und Cur der Kinderblattern. Langenſalz*, 1768. 8. *S.* 34. ſeq.

**) *Pathologie, 2ter Band. Halle*, 1770. 8. *S.* 316. §. 150. ſeq.

***) In diſſ. paucis nota, at elegantiſſima lectuque digniſſima, quae Hippocraticam doctrinam perfecte redolet: de Abſceſſibus per materiam et ad neruos. Gott. 1755. p. 9. §. 10.

piendum eſt, vt interdum puris loco, ichor, nec non ſicca aut humida gangraena, atque in verrucoſis variolis cruda magis materia metaſtaſes efficiat. Ceterum ex hactenus memoratis eruditiſſimis ſcriptoribus idonea huc transſcribere, vel obſeruationum farraginem cumulare, neceſſaria vetat breuitatis ratio. Vnicum tamen ſubiungam caſum, cuius ipſemet memini. Fratris filius adhuc infans bimulus, variolis confluentibus laborabat: ſequebatur metaſtaſis cum tumore inflammatorio, dextrae manus pollicem, digitumque medium ſiniſtrae, nec non dextri pedis talum occupante. Chirurgus imperitus adtecta loca emplaſtris obtegebat. Inciſione vero oppurtuna etiam neglecta, factum eſt, vt materia purulenta illic coërcita altius ſerperet, et cariem oſſium produceret.

§. IX.

Metaſtaſes febrium inflammatoriarum ſpeciatim.

A. Anginae. B. Pleuritidis et Peripneumoniae.
C. Hepatitidis.

Iam itaque ſpeciatim metaſtaſes in febribus inflammatoriis ſtricte dictis conſideramus, ex quibus anginam, pleuritidem et peripneumoniam, nec non hepatitidem ſeorſim luſtrando ſatis pro inſtituto noſtro actum erit, ne per reliquas partes, in praeſens de induſtria praetermiſſas, nimis creſcat diſſertationis argumentum. De ſingulis apud HIPPOCRATEM, vel quisquis Praenotionum Coacarum auctor ſit, luculentis teſtimoniis confirmatum legitur, eas ſaepius per metaſtaſes ſolui. Et de angina quidem in Coacis memorabile praeſagium *) occurrit: „*Quibus angina ad pulmonem diuertit, partim quidem intra* „*ſeptem dies pereunt, partim vero liberati, pus intro colligunt,* „*niſi pituitoſa ſurſum educantur*„. Ac paullo poſt idem auctor, vt alia omittam, huc facientia praeſagia, diarrhoeam

 prae-

*) Aphoriſm. 367. apud *Zwingerum l. c.* pag. 328.

praedicit purulentam ſequentibus verbis *): „*In angina labo-*
„*rantibus, absque vlla ſignificatione, gracileſcentibus faucibus,*
„*dolor intenſus ad pectus, aut ad aluum progreſſus, purulentas*
„*deiectiones facit. Alioquin autem tale quid ſolutionem prae*
„*ſe fert*„. Tertiam autem metaſtaſis ſpeciem eſſe docet dolores ad crura, ex quibus aegre nonnunquam pus generatur **). Quod reliquum eſt, ſicut pus ex faucium inflammatione natum, haud raro aliena petit loca; ita idem quoque aliis morbis commune eſt: quapropter huic momento, circa anginae generaliorem conſiderationem, diutius immorari nolumus; ſed ad pleuritidem et peripneumoniam intuendam accedimus. Coniunctim hos morbos ideo ſiſtimus, quoniam eiusdem fere indolis ſunt; atque pleuritis ſaepius in peripneumoniam mutatur, nec non verſa vice: immo haud raro quoque coniunctim aegrotum vterque morbus affligit, et inſuper eundem etiam vterque ſaepenumero ſortitur euentum. Dignus vel maxime habetur, qui de pleuritidis natura grauiſſime commentatus eſt *Perilluſtris* TRILLERVS, Vir priſca eruditione hodie inter paucos eminens, et ob aetatis pariter, ac meritorum ſublime faſtigium venerandus, vt *Eum* in hoc capite primum conſulamus. Sic vero *Ille*:
„*Abſceſſus pleuriticis aut pone aures, aut ad pedum talos, aut*
„*ſub axillis, aut alibi in corpore obortos et cocto albidoque pure*
„*repletos pro optimo ſalutis ſigno habendos eſſe, frequenti expe-*
„*rientia compertum eſt. — Sed rarum hoc ancepsque naturae*
molimen„. ***). Dein etiam acutiſſimum BRENDELIVM, veterum oraculis tam liberaliter imbutum, vt nobis doctrina ſua aditum ad ea aſſequenda feliciſſime expediat, in partem conſilii huc aduocare tenemur. Cui omnino, dum de pleuritidis vernalis et aeſtiuae cognatione cum malignis agit, ita mentem ſuam prodere viſum eſt: „*Etiam quod malignis febribus com-*
„*mune eſt, criſes pleuritidibus his fere ſunt imperfectae, meta-*
„*ſtaſi-*

*) Aph. 375. *l. c.* p. 329.

**) *l. c.* Aph. 372. p. 329. et Aph. 376. 330.

***) In egregia Commentatione de pleuritide. Frft. 1740. 8. p. 8

„ſtaſibus varii generis abſoluendae, tum per materiam et efflu-„xum — tum ad neruos etc.„ *). Paullo infra autem Vir laudatiſſimus, harum febrium pleuriticarum criſi fuſius proponenda occupatus, ſequentia in medium profert, *Hippocraticis* atque aliis ex vetuſtate illa monumentis conſona verba **): *„Erant his affectionibus imperfectae criſes per varias metaſta-„ſium formas, illas etiam, quas ſupra de pleuritide hiberna at-„tigimus: quibusdam lentae febres ſuccedebant, ſanatu non fa-„ciles; aliis diuturna tuſſis erat, aut in lumbaginis iſchiadis-„que ſpecies, aut in aurium et oculorum affectiones, aut in pe-„riodicas vrinae difficultates, aut pruriginis ſedis et genita-„lium, mucos haemorrhoidales, aliaque huius generis, ſpaſtica „denique alia, inprimis ex hypochondriis tranſitura, niſi libe-„rior quaedam vndecunque haemorrhagia, aut alui bilioſum „mucoſumque profluuium, aut gingiuarum putredo inter ptya-„liſmum, aut purpura ſcorbutica, nonnemini vero ſcabies, ali-„quando et intermittens febris ſucceſſiſſet, quarum alia aliis „perfectius vindicabant, aliisue ſuccedebant„.* Vnde prono alueo fluit, etiam his pleuritidis ſpeciebus, quas rariores inter morbos retulit *Perill.* TRILLERVS ***) ſolemnes eſſe criſes metaſtaticas. Nequeo tandem hoc loco non commemorare, quae *Cl.* WENDT haud ſecus recte, quam erudite, de pleuritidis et peripneumoniae metaſtaſi litteris conſignauit *). Is enimuero inter corollaria ex propriis obſeruationibus eruta, vlterius eloquitur hac ratione **): *„Parotidum tumores ſuppurantes ter „vidi peripneumoniam ſoluiſſe, vnam autem in pleuritide ad „crus ortam metaſtaſin male ceſſiſſe. — Surditas repente obo-„riens*

*) Diſſ. de pleuritide vernali et aeſtiua. Gott. 1756. p. 15.

**) *l. c.* p. 25. §. XIII.

***) Diſſertat. de pleuritide aeſtiua rarius occurrente; recuſ. in Opuſc. T. I. p. 86.

*) In doctiſſima diſſ. ſiſtente obſeru. de pleuritide et peripneumonia. Gott. 1762.

**) *l. c.* p. 31.

„*riens laetum semper exhibuit praesagium.* — *Metastases post* „*nonum diem sputis iam purulentis contingentes interdum sa-* „*lutares.* Nimia ceteroquin forent, quae de metastasi in pleuritide, non interrupto filo adhuc enarrari possent. Omnem vero paginam absoluit in hoc momento, sicut in vniuersa morborum doctrina, quam hucusque aureis Commentariis Suis illustrauit, Vir non solum auctoritate grauissimus, sed dignitate quoque ornatissimus, *Illustriss.* L. B. VAN SWIETEN *), vbi de abscessibus ad varia loca, in solidum disserit, et valde obseruatu digna auctorum in hanc rem effata allegat.

De metastasi autem in peripneumonia HIPPOCRATES inprimis multus est, atque praesagia eiusdem tenoris, in diuersis, *Hippocraticos* inter reperiundis libris, paene verbis iisdem occurrunt: quod vnicuique facile patebit, qui loca in Praenotionibus **), et alibi, in Coacis ***), expressa inuicem comparare voluerit. Ex Coacis quidem huc facientia verba transscribi a nobis, laborem non superuacaneum putamus: „*Quibus ex pul-* „*monis inflammatione, abscessus ad aures, aut inferiores par-* „*tes fiunt, tum suppurant, tum per fistulam, via aperta effun-* „*duntur. Fiunt autem aliis quidem in partibus inferioribus,* „*quos circa praecordia inflammatio fatigat; aliis vero in su-* „*perioribus partibus, quibus praecordia tumoris et doloris* „*sunt expertia, spirandi autem difficultas pro tempore accesserit,* „*quae deinde sine vlla euidenti occasione quiescat.* — *At vero in* „*pulmonis inflammationibus, quae periculum creant, abscessus* „*in cruribus non inutiliter fiunt.* — *Quodsi abscessus intro re-* „*currant perseuerante febre, neque prodeunte sputo, periculum* „*aut mortis aut delirii imminet*„. Effata, allegatis his similia leguntur in Praenot. III. 113. 114. 116. Exstat ibidem et aliud memorandum praesagium 115: „*Quodsi neque sputum* „*recte excernatur, neque vrina bonam subsidentiam habere vi-* „*dea-*

*) Ad Aphorism. 888. p. 25. Tom. III. ed. Hildburgh.

**) In edit. *Zwingeri* p. 148. §. 111. seq.

***) Ibid. p. 335. §. 395. seq.

„*deatur, periculum eſt, ne articulo claudicet aeger, aut ei mul-*
„*tum negotium exhibeatur*„. Qui ea, quae hactenus ex HIPPOCRATE excitaui loca conferre velit cum Aphor. 837. BOERHAAVII, nihil quicquam dubitabit, ſe etiam hic eadem legere verba HIPPOCRATIS. De exitu namque peripneumoniae diſſerens *Immortalis Vir*, Graecorum medicorum ſtrenuus aſſecla et propugnator, ſequens nobis exhibuit monitum: „*Alter*
„*morbus a peripneumonia fit, ſi purulenta iam facta inflamma-*
„*toria materia intra pulmonis venulas reſorbetur, cruori miſce-*
„*tur, in loca quaedam deponitur, vnde liberatur pulmo, one-*
„*ratur pars alia; quae ſi minus requiſita ad vitam eſt*, μετάστασις
„*bona; ſi vero in hepar, lienem, cerebrum et ſimilia loca flu-*
„*xerit, peſſima plerumque erit. Hinc fiunt abſceſſus peripneu-*
„*monici ad aures, crura, hypochondria*„. Quae *Illuſtriſſ.* L. B. VAN SWIETEN in aphoriſmum hunc exactiſſime commentatus eſt, lectorum animos, etiam citra vllam commendationem, in ſui ſtudium pertrahent.

Pertinet huc non minus egregie de metaſtaſi nos inſtruens ille caſus, quem nuperrime nobiscum communicauit *Perill.* ANT. DE HAEN, ſtudii *Hippocratici* praecipuus quoque, tam in ſcriptis, quam doctrina, ſtabilitor *), de homine peripneumonia laborante, in cuius cadauere ſani apparebant pulmones, inteſtina vero, meſenterium et peritonaeum diriſſime inflammata, atque gangraena deſtructa conſpiciebantur. Quis enim in hac morbi hiſtoria non protinus animaduertit metaſtaticam earum partium affectionem? Mitto alia permulta exempla ac teſtimonia, quibus metaſtaſis in febribus, ex pectoris viſceribus inflammatis confirmatur. Illud ſaltim de hepatitide praecipue monendum eſſe duco, frequenter et huic morbo metaſtaſes ſub variis icteri ſpeciebus, aut hydrope, aut tympanitide ſuperuenire. Omnium autem dilucidiſſime BOERHAAVIUS peſſima et lethalia ſymptomata ex reſorptione ichoroſae materiae in ſan-

 gui-

*) Ratio medendi. Pars XIV. p. 11. ſeq.

guinem, propoſuit *). Quo loco *Magnus iſte Vir* inter primaria ſymptomata ſingularem icteri ſpeciem recenſet, eiusque exortum, diſertis verbis, hoc in caſu ex metaſtaſi deriuandum eſſe, veriſſime docet.

§. X.

Puris, ſine praegreſſa inflammatione geniti, metaſtaſes.

Sponte pus quandoque naſci, absque vlla praegreſſa inflammatione, atque deinde ex loco in locum in corpore humano migrare, veteribus iam fuit notiſſimum. Poſterioribus vero temporibus huius rei veritas aliquamdiu per obliuionis culpam ignorata, nuperrime denuo ex ignorantiae tenebris protracta, nec non egregiis teſtimoniis confirmata exſtitit. Ad explicanda quidem pleraque in morbis chronicis potiſſimum phaenomena, nihil hac doctrina nouimus vtilius. Quis etenim eiusdem expers, mutationes nonnunquam ſubitaneas, ac repentinas in morbis exacerbationes, ſiue apparitiones illas, cum feſtinanter quandoque ex colliquatione et puris copioſa excretione homines nuperrime adhuc athletice valere viſi periclitantur, explicauerit? Maxima proinde laus debetur auctori, quisquis ille ſit, praeclarae diſſertationis, quae Praeſide *Excellent.* SCHROEDER defenſa prodiit **). Occaſionem forte huic vtiliſſimae tractationi, vt nobis veroſimile eſt, dederunt ea, quae *Perill.* DE HAEN paullo prius de generatione puris litteris mandauerat ***). Ita vero ignotus nobis auctor diſſertationis ſuo functus eſt officio, vt hoc argumentum exhauſiſſe ſtudio ſuo videatur. Quam ob rem, ſi in vſus noſtros ea vertere vellemus, quae apprime huc faciunt, vix non a capite ad calcem vsque penſitatiſſimum illud ſcriptum, preſſo quamuis ſtilo perſequendum foret. Vel maxime ad nos pertinent, quae auctor de

*) Aph. 941. Cf. quae in hunc *Swietenius* commentatus eſt.

**) De Puris absque praegreſſa inflammatione origine. Gott. 1766.

***) Rat. medendi. Pars II. pag. 7. ſeq.

de tertia ſpecie puris geniti illic diſputat, vbi nempe pus in loco aliquo collectum, ad remotiorem quendam alium, nullo antea vitio adfectum deferri docet. Collectas ibi ſiſtit obſeruationes tam veterum, quam recentiorum, circa puris migrationem ad loca vel remotiſſima: quibus ſpicilegii inſtar addere ſaltem ſuſcipimus, quae animo noſtro in praeſens obuerſantur, a Viro doctiſſimo ſine labe praetermiſſa. Eo pacto peritiſſimus in obſeruando STALPART *van der* WIEL pus ex abſceſſu iecinoris, continuo per pulmonem, atque deinde per fauces tuſſi eiectum vidit *). Idem quoque, pus in pectore collectum per aluum excerni expertus eſt **). Atque alibi, pus ad coxam collectum, per aluum excretum fuiſſe legimus ***). Praeſertim etiam vomicas, exempli gratia, huc referendas eſſe arbitramur, quarum pus in locis ſaepe inſolitis excernitur *); pari iure, velut empyemata, quae frequenter per mictionem purulentam, optimo ſimul euentu ſoluuntur **). Immo haud ignobilis auctor excretionem humoris in ſacco collecti, per renes, peculiari ſcripto itidem pertractat ***). Ceterum quis, vomicam ſaepe ex alia metaſtaſi, chronici inprimis morbi naſci, et dein absque inflammatione in eadem vomica pus generari, teſtantibus id plurimis experientia claris Viris atque idoneis arbitris, fidem derogauerit? Sic nuper quoque auctor diſſertationis, ſub praeſidio *Illuſtris* BOEHMERI propugnatae, eandem puris geneſin ſine praegreſſa inflammatione, indubiam cognouit*).

In

*) Centur. 1. obſ. 46. pag. 202.

**) Centur. 1. obſ. 34.

***) Dec. II. An. IX. obſ. 49. pag. 82. Natur. Cur.

*) Qualia collegit *Perill. Ant. de Haën*, Rat. med. Part. 1. Cap. VII.

**) Cf. *Buchner*, diſſ. ſiſt. ſolutionem empyematis per mictionem purulentam. Hal. 1762.

***) *Excell. Langguth*, diſſ. de ſaccati humoris per ſolos renes percolatione. Viteb. 1746.

*) De geneſi materiae purulentae ſine praeuia inflammatione. Hal. 1767.

In genere autem monendum eſt, effectus puris ſibi exacte reſpondere, ſiue illud praegreſſa inflammatione, ſiue ſecus genitum ſit: nimirum, vt vtroque in caſu, vel ab interioribus partibus ad externas, vel ab externis ad internas pus vertatur. Si poſterius contingit, damna ſaepe longe grauiora oriuntur. Id ſane HIPPOCRATES liquido innuit: „*Si abſceſſus*, inquiens, „*intro recurrant, perſeuerante febre, neque prodeunte ſputo,* „*periculum aut mortis, aut delirii imminet*„ *). Et iterum: „*Graues aurium abſceſſus, qui citra iudicationem ſenſim con-*„*quieſcunt, et diſſipantur, damno ſunt*„ **). Huius indolis noxios effectus ex retrocedente pure promanantes, commoda occaſione perquam erudite, nec non terſiſſima oratione pertractauit *Cel. b.* PLATNERVS ***). Seorſim etiam, et ex inſtituto de his ſcripſit *Cl.* ROTHER, ſymptomata ex puris reſorptione oriunda, quae metaſtaſin reuera teſtantur, pulchro ordine perſequutus *). Quod reliquum eſt, ſi ab internis locis ad externa fiunt metaſtaſes purulentae, abſceſſus et tumoris ſpecie; tunc omnino tenendum eſt, inciſionem a chirurgo factam ſaepe noxios auertere effectus: neque nos deerimus, quin infra oſtendamus vſum egregium vlcerum, externe per artem excitatorum, ad ſananda internarum partium vlcera. Rationem enimuero hanc eximiam medendi, veterum veſtigiis inſiſtens *b.* BRENDELIVS, prouida audacia nobis commendauit; et eandem quoque Auctores Seculi XVI. prudenter tenuiſſe, vel exinde coniicimus, quod ex libris praeſtantiſſimorum illius temporis Chirurgorum manifeſte conſtet, eos frequenter *efficacem medicinam*, vt verbis vtar MARCI AVRELII SEVERINI, adhibuiſſe atque inculcaſſe. Ea quippe aetate aſſidue in vſu erant fon-

ticuli,

*) Coac. 396. Praenot. 116. ex edit. *Zwingeri*.

**) Praedict. I. 170. *l. c.*

***) In diſſ. de noxis ex cohibita ſuppuratione. Lipſiae, 1740. paſſim et in programm. de noxis ex cohibita ſuppuratione in nonnullis oculor. morbis. Lipſ. 1742.

*) Diſſ. inaug. de pure abſorpto ſymptomatum cauſſa. Lipſ. 1752.

ticuli, ſetacea, cauteria, et quaeuis huius generis ſubſidia, quae deriuationem efficiunt, ac per vlcus artificiale, materiam in loco remoto peccantem, neruisque et viſceribus infenſam ex corpore educunt. Matura autem eiusmodi tumorum in externis locis inciſio interdum viribus naturae medicatricibus mirifice ſubuenire poteſt: contra vero, neglecta inciſione, haud raro noua metaſtaſis ad interiora producitur, quae omnia depaſcit, febres accendit, et peſſima quaeque in corpore damna molitur *).

§. XI.

Metaſtaſis Febris Arthriticae.

Vt febres arthriticas ſeorſim conſideremus, non deficit nos iuſta ratio. Siſtunt enim ſingulare morbi genus, cui prae reliquis quaſi proprium quam maxime illud eſt, vt in nullo alio morbo metaſtaſis fiat frequentius, immo nec celerius; quum adeo ſubito in arthriticis ea accidat, atque etiam fulmine citius ſedem mutet. Febris iſtius viuam delineationem apud *Ill.* TISSOT **) inuenimus. Non minus accurate atque eleganter eam quoque *Ill.* STOERCK ***) deſcripſit. Eius itidem exactam mentionem fecere BALLONIVS, SYDENHAMVS, PRINGLE, BROCKLESBY, MONRO, et alii, quorum deſcriptiones in claſſes atque ſpecies redegit *Cl.* SELLE *l. c.* Nuper vero etiam in ſcenam prodiit auctor incomparabilis, ad amplificandam artem medicam fauſto omine natus *Excell.* SARCONE *), cui lectu digniſſimam

*) Cf. diſſ. Praeſ. *Ill. Boehmer*, de damnis ex retardata abſceſſuum apertura; cuius auctor eſt, ni fallor, *Cl. Nietzky*, Hal. 1765.

**) *Anleitung u. ſ. w. Hamburg*, 1767. Cap. XI. §. 163. pag. 173.

***) Ann. med. II. p. 112. ſeq.

*) *Geſchichte der Krankheiten in Neapel von* 1764. 1. *Theil*, *Zürch*, 1770. 8. *S.* 83. ſeq.

ſimam huiusce febris adumbrationem felici ingenio adornatam in acceptis referimus. Sagaciſſimus hic Vir veſtigia iſtius febris, non in monumentis ſolum HIPPOCRATIS inuenit; ſed paſſim quoque BALLONIVM atque SYDENHAMVM correxit, quorum mentis aciem illud fugiebat, HIPPOCRATEM iam libr. I. Epidem. dictam febrem deſcripſiſſe, eamque omnino a chronico illo rheumatiſmo, qui peculiarem morbi ſpeciem ſiſtit, diſtinguendam eſſe. Fuit quidem genius earum febrium, quarum *Ill.* TISSOT, et *Ill.* STOERCK mentionem faciunt, ab illa conſtitutione epidemica, quam *Cel.* SARCONE conſignauit, ſatis diuerſus; in hoc tamen conueniunt ſingulae, quod dolor ſaepius ſedem, locumque mutauerit, et nulla metaſtaſis in ea febre, reliquis omnibus perículoſior fuerit, quam quae pulmones inuaſiſſet. Denique febres arthriticae aliquando etiam ſpecie apoplexiae necare ſolent. Verum ſubſiſtendum iam in his eſt, et ad reliqua deproperandum.

§. XII.

Metaſtaſis Rheumatiſmi chronici, itemque Arthritidis.

Quamuis morbus, quem §. antecedente conſiderauimus, a chronico illo, de quo nunc agemus, probe diſtinguendus ſit; quia tamen cognatio quaedam inter vtrumque intercedit, propterea nunc eius ſuccinctam pertractationem priori non male ſubnectimus. Rheumatiſmi enim vagi, cum ſaepiſſime quoque locum mutent, in libris pathologicorum ſcriptorum vel ideo ſic nuncupari ſolent. Tanta vero eſt rheumatiſmum inter atque arthritidem cognatio, vt ſymptomata horum morborum ſibi admodum ſimilia obſeruentur: quin immo idem etiam de metaſtaſi eorum valere arbitrium poſſit. Quamobrem et *Cl.* KLEINIVS morbi vtriusque ſemioticam doctrinam non ſeparauit, ſed coniunctim eodem loco tradidit *). Metaſtaſes autem arthritidis anomalam illam ſiſtunt arthritidem, quam adeo concinne ac eleganter egregius MVSGRAVE tradit, vt claſſici aucto-

*) Interpr. Clinic. p. m. 21. ſeq.

auctoris nomen inter medicos, hoc opere tueatur *). Infinita series malorum, affectus vtpote ventriculi, colica, diarrhoea, dysenteria, intestinorum abscessus, melancholia, syncope, calculus, asthma, catarrhus, tussis, peripneumonia, phthisis, angina, capitis dolor, vertigo, apoplexia, paralysis, ophthalmia, erysipelas, achores, epiphora, dentium dolor; haec singula ortum ducentia a mobili materia arthritica, eademque ab alia parte ad aliam delata, totidem sistunt metastaseos species, vnius eiusdemque morbi, qui variam induit laruam, et cum scenam ludat, tam miris modis mutabilem, exercitatos etiamnum in arte viros non raro decipere valet. Praeter ea paralysis, quae toties fuit arthritidis et rheumatismi (de chronicis nunc loquimur,) effectus, quid quaeso aliud sunt, quam metastasis? Ceterum forte et ipse calculus aliquando metastasin arguit. Summa enim arthritidem inter et calculum, quoad caussas, nec non symptomata, cognatio obtinet **). Atque adfuit omnino apud *Ill.* HVNDERTMARCK ***) in aegroto illo, qui vrinam cretaceam minxit, arthritica et calculosa dispositio. Materiae autem calcareae arthriticae ad mammas facta metastasis, alibi non minus certa legitur *).

§. XIII.

Febrium intermittentium et hydropis metastasis.

Campus dicendorum amplus adhuc patet; sed vt vela,

 quoad-

*) De Arthritide anomala, etc. Edit. secunda. Amstel. 1710. 8uo. Passim quoque Möllenbrocc. Tract. de Arthritide vaga, etc. Lips. 1746. 8. *Warren*, in libro de arthrit. simili ratione, ac *Musgravius*, recensuit metastases huius morbi, quod et egit *Schleiss*, *vom Podagra im Th.* 3.

**) Conf. elegans diss. habita Praes. *Exc. Arch. Schroeder*, de cognatione inter arthritidem et calculum. Gott. 1767. cuius auctorem audio esse *Exc. Murray*.

***) In diss. doctiss. de vrina cretacea. Lips. 1761.

*) Cent. III. A. N. C. obs. 17. p. 38.

quoadusque licitum eſt, contrahamus, perſuademur increſcente ſenſim diſſertationis noſtrae mole: quare paucis tantum de horum quoque morborum metaſtaſi diſpiciemus. Ex intermittentibus praeſertim febribus, ſaepe viſcerum infarctus, abſceſſus, ſcirrhos, inflammationes in viſceribus, oedemata *), hydropem aſcitem et anaſarca, tympanitidem, hecticam, ſcabiem, puſtulas circa os, ſaliuationem, hypochondriacam paſſionem, vlcera, aſthma, et id genus affectiones morboſas enaſci, nemini in arte medica non plane peregrino, cenſeo ignotum eſſe **). Quos autem hic enumerauimus morbos, omnes ad metaſtaſin referri debere, conformis medicis praeceptis iubet ratio. Atque eorum euentum ſi ſpectes, mox ab intermittente febre liberant, mox etiam in peius vertunt omnia. Tertiana inprimis, cum febribus acutis multa, tam quoad decurſum, quam ſymptomata, habet communia. Exſpectare ergo et exitum in tertianis licet, ſimilem ac in acutis febribus.

Dari vero hydropem vagum, ſiue talem, qui ſedem mutat, res eſt forſitan multis adhuc inaudita. Sed nolint hi, rogamus, mirari phaenomenon, quod rarioribus adnumerandum ipſimet cenſemus, aliquoties attamen viſum, et ab *Ill. Praeſide* etiam exemplo confirmatum ***), precaria ratione haud vrgemus. Nam, qui ſolum oedematis naturam rite perpendit, facile nobis aſſentietur, fieri quoque poſſe, vt hydrops locum ſuum mutet, aliumque occupet: cum adſit certe aliqua, oedema inter et hydropem, euidens cognatio.

§. XIV.

Scabiei metaſtaſis.

Equidem haud obſcure videmus, nobis non ad omnium mor-

*) Cf. *Phil. Frid. Gmelin*, diſſ. de tumoribus oedematoſis ex febribus intermittentibus oriundis. Tub. 1762.

**) Cf. *Kleinii* Interpr. clinic. p. m. 95. ſeq.

***) *Von den Krankheiten einer Armee.* 1765. 8. *S.* 212.

morborum adeo mirabiles metaſtaſes perſequendas otium dari. Vltimum itaque ex chronicis morbis exemplum, ſcabiem, tantiſper adhuc perluſtrabimus. Huiusce autem morbi tot depredimus metaſtaſeos ſpecies, vt vix aliud exanthema chronicum, hoc reſpectu cum eo comparari poſſit. Metaſtaſes illas iam alibi *Ill. Praeſes* *), et *Cl.* KLEIN **), recenſuerunt. Sunt ſcilicet effectus ex metaſtaſi ſcabiei orti, praecipue ſequentes: melancholia, epilepſia, catalepſis, febres, mors ſubitanea, apoplexia, diabetes, conuulſiones, tremor, ſopor, ſtupiditas, catarrhus ſuffocatiuus, ſurditas, coecitas, vomitus, colica, haemoptyſis, cardialgia, icterus, quartana, tuſſis, tumores, glandularum induratio, vlcera, diarrhoea, inflammationes viſcerum aliarumque partium, oculorum vitia, amauroſis, phthiſis, febris lenta, ophthalmia, mania, hydrops anaſarca, mictus et vomitus cruentus, aphonia, tumores cyſtici, bubones, et ſexcenta forte alia mala, quae auctorum probatorum teſtimoniis, et quotidiana experientia abunde confirmantur. Achores vero, aliaque cutis chronica exanthemata cum ſcabie quam proxime conueniunt, et ſimiles in iis quoque morbis occurrentes metaſtaſes a practicis leguntur obſeruatae ***). Purpura tandem chronica hic loci conſideranda adhuc eſſet; ſed eius metaſtaſes, ab illis, quas in ſcabie notauimus, reuera non differunt: adeoque ſine diſpendio lectorum, modo in his ſubſiſtimus. Analoga quoque eſt metaſtaſis gonorrhoeae ad oculum, in qua ſub coniunctiua membrana materies, purulentae illi vrethrae ſa-

 niei

*) *Von den Krankheiten einer Armee* etc. *S.* 293. ſeq.

**) Interpr. clinic. p. 257. ſeq.

***) v. c. *Millorádovics* in diſſ. de ſurditate ex retropulſa cruſta lactea orta. Hal. 1769. et paſſim *b. Klein.* Ex ſimili metaſtaſi in acutis circa decrementum obſeruatur auditus difficultas. Et ex malignis interdum coecitas.

niei ſimillima effunditur *). Vlcera denique in pede, ex gonorrhoea orta, alibi in obſeruatis legimus **).

§. XV.

Metaſtaſes Fluidorum.

A. Sanguinis.

Nemo forte mirabitur, nos haemorrhagiarum ſpecies nonnullas etiam inter metaſtaſes numerare. De lochiorum metaſtaſi, quam deinde proferemus, nullum ſane amplius ſupereſt dubium: ſimili ergo ratione alias quoque haemorrhagiarum formas iure meritoque inter metaſtaſes collocare poſſumus. Id vero ex ipſa rei notione conſequitur, cum metaſtaſis nil aliud ſit, quam morboſae materiae, ſiue humoris excrementitii ad alium locum corporis, vbi interdum vel excernitur, vel accumulatur, ac tumorem efficit, translatio. Potiſſimum autem tres haemorrhagiarum ſpecies, haemorrhoides nempe, fluxus menſtruus, et lochia metaſtaſes producunt, nec raro haemorrhagiae, in alia corporis parte contingenti exiſtunt cauſſa. Vnde fit, vt haemorrhoides quandoque ex inſolitis plane locis excernantur ***). Sic ex palato viſae ſunt fluere *), et plures huiusmodi caſus collectos apud *b.* KLEINIVM legimus **). Pariter haemorrhoides veſicae, vomitus cruentus, haemoptyſis, alii-

*) *Alex. Camerarius*, diſſertat. de Ophthalmia venerea. Tub. 1734. recuſ. in coll. diſp. *Halleri* ad morborum hiſt. etc. T. I. p. 283. Similia leguntur exempla in Dec. N. C. Vol. II. p. 77. et Act. Berolin. Dec. I. Vol. V. p. 16.

**) A. N. C. Dec. III. A. IX. et X. obſ. 227. p. 404.

***) *Alberti* diſſ. de haemorrhoidum viis inſolitis. Hal. 1718. recuſ. in Ei. Tr. de haemorrhoidibus.

*) *Io. Andr. Fiſcher* diſſ. ſiſtens haemorrhoides ex palato profluentes, ſingularis caſus. Erford. 1722.

**) Interpr. clinic. p. 125.

aliique morbi ex haemorrhoidum obſtructione orti, auctorum teſtimoniis paſſim confirmantur *). Atque hanc doctrinam *b.* ALBERTI, qui de conſenſu haemorrhoidum cum aliis morbis multa egregie diſputauit, ſingulari libro abſoluere conatus eſt **). Subinde quoque haemorrhoidum retentio aphrodiſiacos mentitur morbos; dum ſanguis, quem natura excernere molitur, verſus genitalia ruit, ibique tumores teſticulorum magnos, duros, diriſſimaque inflammatione ſtipatos, producit, vt medici non raro pro teſticulo venereo haberent ſymptoma, ex mera haemorrhoidum retentione proueniens ***). Et ſimilium non leuis eſſet numerus, quodſi ſingulos ex haemorrhoidum metaſtaſi ſequutos morbos colligere poſſemus. De menſtruo vero fluxu abunde liquet, nullam dari haemorrhagiae ſpeciem, quae non interdum vices illius expleuerit. Saepe enim ex menſium obſtructione haemorrhagia narium, ſputum cruentum, haemoptyſis, vomitus cruentus, immo haemorrhoides naſcuntur. Quorum omnium perbene conſcius HIPPOCRATES: „*Mulieri*, „ait, *menſtruis deficientibus, e naribus ſanguinem fluere, bo-* „*num*„. Aph. V. 33. Et idem: „*Mulieri*, inquit, *ſangui-* „*nem euomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit*„. Aph. V. 32.

At, quod magis mirandum eſt, ex locis prorſus inſolitis nonnunquam ſanguinem prodiiſſe, exempla fidem faciunt. Quae, ſi quis a nobis requirat, affatim inueniet apud IO. ADOLPH. WEDELIVM *), nec non apud *Cel.* SAUVAGES **), et

*) Cf. interim *Segner*, diſſ. de morbis ex interceptis haemorrhoidibus. Gott. 1741.

**) Cf. P. II. Ei. libr. de haemorrhoidibus. Hal. 1722. 4to.

***) Legi vel maxime meretur *b. Brendelii* diſſ. de haemorrhoidibus interceptis, morbos verendorum aphrodiſiacos ſimulantibus. Gott. 1744.

*) Diſſ. de viis menſium inſolitis. Ien. 1745.

**) Noſolog. Vol. V. p. m. 57.

et omnium exquisitissima serie apud *Illustrem* HALLERUM *), Virum Medicum, aetate nostra vere πολυμαθέυτατον, qui selectissimas hac de re collegit atque allegauit obseruationes. Denique retenta lochia, facta metastasi, per succenturiatam narium haemorrhagiam effluxisse, VARANDAEUS meminit **). Nuper vero etiam Vir quidam doctissimus, de metastasi lochiorum disserens ***), elegantem eius comparationem cum metastasi lactis instituit, et simul signa atque caussas, nec non effectus ac morbos inde consequentes concinno ordine tradidit; sic, vt vniuersam de lochiorum metastasi doctrinam solide explicatam, atque tum veterum, tum recentiorum documentis et obseruationibus illustratam dederit. Commemorabile insuper exemplum de metastasi alborum lochiorum et lactis in peluim, *Cl.* HENCKEL *) nobiscum communicauit.

B. Lactis.

Metastasin hanc nuper demum medicis innotuisse, nec prius: id vero est, quod miramur. Crediderant enim ex aliquo iam tempore, quem fluxu coeliaco laborantes aegri excernerent subalbidum humorem, esse chylum. Sed praeclare doctis argumentis hoc commentum *Exc.* VOGEL **) refutauit. Meminit autem iam olim DECKERUS, ac forte etiam alii, vrinam phthisicorum saepe lacteam reddi, et chylum continere dissolutum ***). Ita quoque post ablactationem lac, per os excretum, mira

*) Elem. Physiolog. T. II. P. II. p, 157-159.

**) De morb. mulier. L. 2. Cap. 6.

***) *Fauvarcq*, diss. de lochiorum metastasi. L.B. 1768. Recensionem dedit *Praeses*: *Auszüge aus Dissert. B. I. St. 2. S.* 154. seq.

*) *Neue med. chirurg. Anmerkungen.* 1. *Samml.* 1769. 8uo p. 12. seq.

**) Diss. fluxus coeliaci genuina notio atque ratio exposita. Gott. 1768.

***) Vid. REGA, medendi methodus, etc. recus. Colon. 1756. 4to p. 238. circa finem.

mira certe metaſtaſi, legitur *). Non ſecus in lactante cohibitum lac, per vmbilicum effluxiſſe traditur **). Immo et per vrinam excretum alii viderunt ***). Symptomata vero ex lacte retropulſo, hyſterica WEPFERVS *) annotauit. Delirium porro ex lactatu, *b.* QVELLMALZ **) commemorat, cuius ſane nulla veroſimilior fuit ratio, quam lactis clandeſtina metaſtaſis. Quidni, et ex vlcere femoris lac effluxiſſe perhibetur ***). Talia non pauca de lactis metaſtaſi exempla ex obſeruationum melioribus libris *Ill.* HALLERVS *) depromſit. Idemque alibi ſapientiſſime monet: „*Lac ad vterum et in lochia conuerti, vetuſta eſt opinio, etiam a terrore, vt multo tempore per vterum lac fluxerit, et contra, parca eſſe lochia, ſi lac de mammis abunde manauerit*„ **). Elaboratiſſime tamen prae reliquis omnibus de lactis metaſtaſi non ita longe abhinc *Cel.* PVZOS ***) commentatus eſt. Is auctor ſimul prudenter nos hortatur, lactis metaſtaſin non ſemper tumorem in loco, ad quem facta eſt, excitare; ſed et tum iam adeſſe, cum lac in vaſis capillaribus ſtagnat, aut in telam celluloſam effuſum, aut cauitate aliqua exceptum deprehenditur. De locis quoque, in quae fit metaſtaſis, Vir iſte Celeberrimus ſolide ediſſerit. Sed, quia fere pauciſſimi ex Germanis Medicis, exterorum tam pretioſa ſcripta ſibi comparabant, aut ne relata quidem de iis noua litteraria,

*) Eph. N. C. Dec. II. A. II. obſ. 76. p. 165.

**) Eph. N. C. Dec. II. A. VIII. obſ. 177. p. 451.

***) Ib. Dec. I. A. I. obſ. 28. p. 99. et *Stalp. van der Wiel* obſ. Cent. II. obſ. 37.

*) Obſ. p. 72.

**) Progr. de delirio ex lactatu. Lipſ. 1754.

***) Eph. N. C. Dec. I. A. III. obſ. 136.

*) Elem. Phyſiolog. T. II. p. 15 et 16.

**) Elem. Phyſiolog. T. VII. P. II. p. 21.

***) Cuius liber prolixe recenſitus legitur in Commentar. de reb. in ſcient. nat. et med. geſtis. Suppl. Decad. I. p. 500. ſeq. huc pertinent.

raria, vel alia egregia acta similia consulebant; inde fieri omnino poterat, vt eousque ipsos latuerit doctrinae de lactis metastasi clarior cognitio, donec eam, pro solida eruditione sua, *Ill.* L. B. VAN SWIETEN Commentariis suis complecteretur *), atque praecipuas eruditorum simul obseruationes comprehenderet. Ab eo tempore et inter nos tractari coepit istud argumentum. Sic nuper tantum iustissimas sibi meruit eius pertractatione laudes *Exc.* IAEGER **), qui elegantem admodum commentationem adornauit, vt huic doctrinae sufficientem conciliaret perspicuitatem. Neque esset, quod Eximii Viri dictis superadderemus, nisi vna forte aliaue prae ceteris adhuc idonea nobis succurreret obseruatio. Exstat tale, de metastasi lactea abdominis, insigne exemplum, cum symptomatibus malignis, post partum primis statim diebus, exortis, in diario quodam scripto medici argumenti ***), auctore *Cl.* PLANCHON obseruatum. Et singulari merito huc etiam pertinere videtur, de abscessibus lacteis in infante post variolas ortis, notatu digna obseruatio, quam nuper retulit in aduersaria, Vir longe Celeberrimus, et in docenda pariter, ac facienda medicina, vtrobique laboriosissimus, *Ill.* LVDWIGIVS *), Fautor nobis plurimum colendus.

C. *Metastases vrinae.*

Vrinam, quae excerni nequit, non in tela cellulosa solum colligi, atque totius corporis tumorem efficere **), sed et specie sudoris, vel saliuae excretam fuisse, aut denique ex auribus, nari-

*) Tom. IV. Commentar.

**) Dissert. de metastasi lactis. Tubing. 1770. In qua auctor non solum omnium fere, quotquot innotuerunt obseruationes singulari studio collegit; sed et argumenti theoriam doctissime tradidit.

***) Iournal. de Medecine. T. XXIV. mois de Mai.

*) Aduersar. med. pract. Vol. II. P. I. p. 183. seq.

**) Eph. N. C. Dec. II. A. V. obs. 162. p. 336.

naribus, mammis effluxiſſe, nec non per vomitum, vel per aluum receſſiſſe, immo in cerebro collectam, apoplexiae, in ventriculo congeſtam, ſingultus cauſſam exſtitiſſe, teſtibus grauiſſimis concedere tenemur. Potiſſimas auctorum, in hanc rem conſcriptas obſeruationes, *Perill.* HALLERVS *), atque etiam *Cl.* NONNE **), ſtudioſe congeſſerunt. Alibi vero, prolixiore adhuc ſermone, vrinam in aliena cola exire docuit HALLERVS***), ſicut de omnibus fere corporis humani humoribus conſtat, eos per quodcunque colum ſeparari poſſe *): vnde, ſi vrinae iter et excretio intercluditur, perſpirabilem materiam augeri neceſſe eſt, nec non vice verſa. De hac ipſa fluidorum, tum ſecretorum, tum morboſorum omnis generis metaſtaſi, abſolutiſſime, et pro virili ſcripſit *Cel.* GAVBIVS **). Locum vix inuenimus, ſingulis materiae perſpirabilis viciſſitudinibus ſeorſim hic quoque enumerandis, quibus fit, vt ea ſaepius ad renes, ſaepe ad aluum, et quandoque ad alia loca vergere poſſit. Neque noſtri id adeo intereſt; cum nemo non per ſe intelligat, perſpirationem minui, quoties verſus aliam partem corporis humani, perſpirabile deriuatur ***).

D. *Metaſtaſis lymphae.*

Lympha nunc paucis conſideranda venit, ſeu lentus ille humor effuſus in cellulis, ibique accumulatus, et ſtagnans, tumorum, quos lymphaticos vocare conſueuimus *), cauſſa. De natura vero tumoris lymphatici, nondum ſatis antehac deſcripti, conſulendum hodie *Cl.* PLENK **) exiſtimamus, qui ſedem eius

*) Elem. Phyſiolog. C. H. T. VII. P. I. p. 401-403.
**) Diſſ. de Enureſi. Erf. 1768. in praef. Recenſuit *Illuſtris Praeſes in Auszügen* etc. *B. I. St. I.*
***) Elem. Phyſiolog. C. H. T. II. p. 370. 372.
*) *Perill. Haller*, *l. c.* p. 369. ſeq.
**) Inſtitut. Pathol. edit. alt. Lipſ. 1771. 8. §. 399. et 401.
***) Vid. *Haller*, Elem. Phyſ. C. H. T. V. p. 78. lin. vlt. et p. 79.
*) *Gaubius*, *l. c.* p. m. 194.
**) Nou. ſyſt. tumorum. P. I. Vienn. 1767. 8. p. 127. ſeq.

eius telam esse cellulosam, firmis argumentis euicit, eumque ab oedematoso et cystico tumore sollicite distinxit. Eundem hunc tumorem reuera saepius esse metastasin, ipse quoque probat *Cl. Vir* *), his verbis: „*Hunc tumorem frequentissime in infantibus, in scorbuticis, post variolas, et a contusione dudum praegressa, obseruaui*„. Ceterum, quum de metastasi ex congestione seroso-lymphatica, alii iamiam copiose non minus, quam egregie disseruerint, lubenter illis in hac arena cedimus, ne loco, ad reliqua adhuc attingenda excludamur. Et quis est, qui nesciat, humores seroso-lymphaticos saepius tum in capite, tum in alia corporis humani cauitate, tum denique in extremis locis morbose colligi, idque per modum congestionis fieri; ex qua omnino caussa multiplices periculosos animi morbos, in pathologicis peculiarem seriem absoluentes, enasci oporteat?

E. Seminis metastasis.

Seminis aliquam partem resorberi in sanguinem, et inde varios pendere effectus, singulari libello, insigni iudicii acie elaborato, quidam *Cl Vir* **) demonstrauerat. Nuper vero *Perill.* HALLERVS non solum resorptionem seminis solide pertractauit, sed et effectus noxios ex nimia resorptione, quae nil aliud, quam metastasis est, perspicue tradidit ***). Vnicam, ex multis istius metastaseos exemplis, spermatocelen, et testiculorum tumorem cum induratione, nominare hic sufficiat. Grauidarum quoque nauseam et vomitum ex seminis resorptione, vero simillimis ex rationibus *Perill.* HALLERVS explicuit. Eandem autem liquidi genitalis resorptionem in sexu muliebri pariter locum habere ideo non dubitamus, quod ex hac ipsa caussa varias hystericas affectiones, nec non furorem vteri deducere necesse sit. Nonnulla,

*) *l. c.* p. 129.

**) *Car. Frid. Ahlemann*, diss. de regressu seminis ad sanguinem. Frft. 1750.

***) Elem. Phys. C. H. T. VII. P. I. p. 541. et de noxis ex resorptione nimia, p. 547. seq.

nulla, quae hic locum mererentur, alibi a *Cel.* KRÜNITZ *) erudite expoſita ſunt, qui morbos ex reſorptione genitalis liquidi in vtroque ſexu oriundos concinne recenſuit. Quae quidem reſorptio et aeque manifeſta metaſtaſis, vel eo minus in dubium vocari poteſt, quo certius eſt, miaſma ex impuro coitu ſuſceptum adeo cito reſorberi, vt inde bubones, aliique effectus compareant. Atque de metaſtaſi ex gonorrhoea maligna ſuperius iam nonnullas obſeruationes allegauimus: nec amplius igitur in his verſari opus erit.

F. Emphyſematis metaſtaſis.

Perill. HALLERVS rectiſſime omnino docuit, aërem in emphyſemate omnes totius corporis partes ſubito permeare, atque hoc memoratu dignis caſibus hinc inde obſeruatis apprime quoque confirmauit **). Similes vero de emphyſemate confeſtim ad alias partes migrante memorabiles obſeruationes *b* SCHVLZ ***), IO. FRID. a WALDKIRCH *), et nuper *Cl.* TIMMERNANN **) laudabili induſtria conſignarunt. Omittimus conſilio, quae *Cl.* BILGVER atque *Cl.* PLENK recens collecta exempla huius rei prodiderunt. Sufficit enim in praeſens vel tribus verbis monuiſſe, omnium conſenſu ſaepiſſime in praxi chirurgiae notari phaenomena, vt aër emphyſema efficiens velociſſime locum mutet, alibique tumorem creet.

Monitum ad Lectores.

Hactenus de morbis, in quibus obſeruata fuit metaſtaſis, ſuccincte actum eſt: ſuperſunt adhuc reliqua doctrinae huius capita, eo ordine, ſicut in prooemio conſtitueram, pertra-

*) In diſſ. de matrimonio, multorum morborum remedio. Frft. ad Viadr. 1749.

**) Elem. Phyſ. C. H. T. I. p. 12.

***) Diſſ. de Emphyſemate.

*) Diſſ. ſiſt. ſingular. Emphyſematis hiſtoriam. L. B. 1725.

**) Comment. med. de Emphyſemate. Rint. 1765.

ſtanda. Sed, quia numerus plagularum conſuetae diſſertationis formam fere iam explet, et materiam diſſerendi in vtramque partem hucusque ſatis amplam porrigit; ideo in his tantiſper ſubſiſtere, ac reliqua propediem typis committenda, opportunitate meliori perſequi, in praeſens vel inuitus cogor. Id vnicum non poſſum non hic addere, *Cl.* BRÜNING nouiſſimo libello *); quem hoc ipſo momento, ex *Ill. Praeſidis* fauore luſtrare mihi contigit, multa cum eruditione, et collatis ſcriptorum optimorum iudiciis, de metaſtaſi in febre ſcarlatina et miliaribus diſſeruiſſe.

*) Conſtitutio epidemica Eſſendienſis Annis 1769-1770. ſiſt. hiſt. febris ſcarlatino-miliaris anginoſae. Veſal. et Lipſiae, 1771. 8uo.

EMENDANDA.

Pag. 14. lin. 16. leg. ſaporem. p. 27. lin. 16. pro *b.* MANGOLDVS leg. *Cl.* LANGHANS, et p. 48. Not. I. leg. T. VII.

CLARISSIMO DOCTORANDO

IO. CHRIST. TRAVGOTT SCHLEGEL

S. D.

P R A E S E S.

Non ex vulgari consuetudine has ad TE nunc scribo litteras, nec vt testarer amorem in TE meum, de quo, vt ego quidem iudico, nunquam dubitasti. Contigit, vt eo iam tempore, cum Longosalissae adhuc viuerem, innotescceres mihi, quo primum cognoui, TE tanta cupiditate addiscendi medicam artem flagrare; vt spem iustam conciperem, fore aliquando, vt non vulgari eruditione ditatum TE videam. Nec mea me spes fefellit. Placuit TIBI, vt me ducem eligeres in addiscenda arte medica, et trium annorum spatio, quo apud nos vixisti, quo eadem mecum domo vsus, et quo familiaris mihi fuisti, non defuit occasio, penitus perspiciendi animi TVI candorem, et probitatem, quibus omnibus TE commendasti. Sed et ingenium TIBI esse docile atque incredibile fere studium litterarum, non heri demum cognoui, et mecum cognouerunt alii. Fateris amanter, TE et mihi aliquid debere, qui nullam praetermisi occasionem, qua inseruire TIBI, TVoque desiderio litterarum satisfacere potuerim. Haec bene nosti. Laetor vero, mihique gratulor de discipulo adeo docto, qui nunc iure meritoque ab ordine nostro expectat summos in arte medica honores, et quem nunc piis votis prosequor. Saepius in TE iamiam inueni socium laborum meorum, et non vnam ob caussam mihi charus fuisti; sed longe plura sunt, quae nunc abs TE spero, mihique polliceor. Sis testis fide dignus doctrinae, quam profiteor, et studii mei commilitonibus inseruiendi, quod quantum sit, ego dicere nolim. Habebo, scio, in TE amicum sincerum, cui omnem nunc ex animo precor felicitatem. Sis felix vbique, meique memor. Ita vale, mihique faue, de meo in TE amore persuasus. Scrib. Ienae, d. XVIII. IVL. MDCCLXXI.

CLA-

CLARISSIMO
DISSERTATIONIS AVTORI
S. D.

IOSEPHVS SIGISMVNDVS LIEDEMANN,

HVNGARVS IAVRINIENSIS

MED. DDVS.

Qui ob vitae probitatem, ob morum integritatem, ob ingenii praeclaras dotes, et animi in litteras pertinax atque indefessum studium, sincero semper amore TE complexus sum, Amice Suauissime; publicum iam hoc eruditionis TVAE documentum, in quo perutiliter, et conatu sane non vulgari elaborasti, laetus TIBI gratulor, Deumque precor benignissimum, vt TE exoptatissima vitae humanae conditione constanter frui iubeat, mihique seruare velit Amicum, non eum modo, cum quo hactenus coniunctissimus, in gratiam necdum redii; sed quem in posterum etiam, propter incubantes diuersae sorti nostrae vicissitudines, loco seiunctum, nunquam ego imo mihi a pectore diuelli sinam. Vale.

Scr. Ienae, Idibus Iul. MDCCLXXI.